060.28
J499

RITUS SACRI ET PRECES

Imprimatur.

Buscoduci, 21 *Januarii* 1905.

J. H. SELTEN,

Libr. Cens.

060.28
J

RITUS SACRI

ET

PRECES

AD USUM

PATRUM SOC. JESU



GEMERTI

EX TYPIS PRIVATIS COLLEGII

1906.

15750

A. M. D. G.

RITUS SACRI

DE MISSA

PRÆPARATIO AD MISSAM

ANTIPHONA. Ne reminiscaris,* Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quæ Antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur, et tempore Paschali additur in fine Alleluia.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi :

PSALMUS LXXXIII

QUAM dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine:* in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te :* ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem : * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine, Deus virtutum, exaudi orationem meam:* auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster, aspice Deus : * et respice in faciem Christi tui :

Quia melior est dies una in atriis tuis:* super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei :* magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : * gratiam et gloriam dabit Dñus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia :* Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, et Filio,* et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS LXXXIV

Benedixisti, Domine, terram tuam : * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam : * avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster : * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis : * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos : * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam : * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius : * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi : * justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est : * et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem,* et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit,* et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri.

PSALMUS LXXXV

INCLINA, Domine, aurem tuam, et exaudi me,* quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die : * lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis,* et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam : * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te:* quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine :* et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine,* et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia :* tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua:* lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo :* et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me:* et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam :* et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors:* patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei : * da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : * quoniam tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

Gloria Patri.

PSALMUS CXV

Credidi, propter quod locutus sum : * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino : * pro omnibus quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam, * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea : * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus:* in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri.

PSALMUS CXXIX

De profundis clamavi ad te, Domine:* Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes,* in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine:* Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est:* et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:* speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem,* speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia,* et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

Deinde repetitur Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel pa-

rentum nostrorum ; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Postea Sacerdos dicit : Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster...

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi : Domine, miserere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere, Domine, aliquantulum.

℟. Et deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua, Dñe, super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me, Dñe.

℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia Sancti

Spiritus illumina cor nostrum : ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine : ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus Sancti : quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica ; ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIONES S. AMBROSII

Die dominica. Summe Sacerdos, et vere Pontifex Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum, et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus Sancti tui, dicens : Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis : rogo per eumdem Sanguinem tuum, magnum salutis nostræ pretium : rogo per hanc miram et ineffabilem caritatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo : doce me servum tuum indignum, quem

inter cetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ : doce me, quæso, per Spiritum Sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam, concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia, ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui,

repelle a me, et a cunctis servis tuis, durissimum spiritum superbiæ et cenodoxiæ, invidiæ et blasphemiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et diffidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur : pereant illi qui nos perdere festinant.

Feria II. Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones; et da mihi veram et perpetuam castitatem, cum ceteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate ; ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animæ puritate istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum, ubi Caro tua in veritate sumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur,

ubi adest sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium, et Sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus.

Feria III. Quis digne hoc sacrificium celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate, et lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali, et cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria IV. Ego enim, Domine, memor

venerandæ Passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses; nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemptio. Profero etiam, Domine, (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria V. Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia:

quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras : et ignem Sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra : et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris: et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire et exaudire delecteris.

Feria VI. Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de cœlo

descendisti, et das vitam mundo, de tua Carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto et glorioso beatæ Virginis Mariæ utero est assumpta, et de Spiritu Sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit : ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis, et sanctificatio tuæ divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa Sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

Sabbato. Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur, da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia Sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto : Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni langore, ut nullam præter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos semper reficis, et nunquam in te deficis : comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne

deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de cœlo et das vitam mundo, veni in cor meum et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animæ et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes, recedant procul a præsentia potentiæ tuæ, ut foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam : ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica : ita ut nec esuriam nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen. *(S. Ambros.)*.

Indulg. 1 *anni pro recitatione, præter illam quinque Psalmorum* : Quam dilecta.., Benedixisti.., Inclina.., Credidi.., De profundis..,*cum versiculis et septem orationibus*

adnexis, orationis S. Ambrosii Ep. singulis hebdomadæ diebus assignatæ. (*Leo XIII*, 20 *decembris* 1884.)

ALIA S. AMBROSII ORATIO

Ad mensam dulissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas! ego miser, inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ

tuæ, Domine Jesu Christe, Rex æterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te : miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo Sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea : ut, purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta sanctorum : et concede, ut hæc sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque

et corporis, contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Indulg. 100 *dierum.* (*Leo XIII*, 20 *decembris* 1884.)

ORATIO S. THOMÆ

OMNIPOTENS sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi : accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem, ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed

etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie, perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Indulg. 100 *dierum.* (*Leo XIII*, 20 *decembris* 1884.)

DIRECTIO INTENTIONIS

EGO volo celebrare Missam, et confícere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in

specie, et pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens et misericors Dñus. Amen.

Indulg. 50 *dier.* (*Pius IX*, 3 *Jun.* 1877.)

ORATIONES

DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS

Cum lavat manus, *dicat* :

DA, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam : ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum, *dum ponitur super caput, dicat*:

IMPONE, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam, *cum ea induitur* :

DEALBA me, Domine, et munda cor meum : ut, in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum, *dum se cingit :*

PRÆCINGE me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis : ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis.

Ad Manipulum, *cum imponitur bracchio sinistro :*

MEREAR, Domine, portare manipulum fletus et doloris : ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, *dum imponitur collo :*

REDDE mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam, *dum assumitur :*

DOMINE, qui dixisti : jugum meum suave est, et onus meum leve : fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Subdiaconus ad Tunicellam *dicere potest:*

TUNICA jucunditatis et indumento lætitiæ induat me Dominus.

Diaconus ad Dalmaticam *dicere potest :*

INDUE me, Domine, indumento salutis, et vestimento lætitiæ circumda me semper.

ORDO MISSÆ

Sacerdos paratus, cum ingreditur ad altare, facta illi debita reverentia, signat se signo crucis a fronte ad pectus, et clara voce dicit :

IN nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde, junctis manibus ante pectus, incipit antiphonam :

Introibo ad altare Dei.

Ministri. ℟. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Postea alternatim cum Ministris dicit sequentem psalmum 42.

JUDICA me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo mea :

quare me repulisti? et quare tristis incedo dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos repetit antiphonam, Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Signat se dicens :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde, junctis manibus, profunde inclinatus facit Confessionem.

In Missis defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum sanctum exclusive, omittitur psalmus Judica me, Deus, *cum* Gloria Patri, *et repetitione antiphonæ; sed dicto* In nomine Patris, Introibo *et* Adjutorium *fit Confessio, ut sequitur :*

CONFITEOR Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere, *Percutit sibi pectus ter dicens* : mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Ministri respondent :

Misereatur tui omnipotens Deus, et, di-

missis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

Sacerdos dicit Amen, *et erigit se.*

Deinde Ministri repetunt Confessionem : et ubi a Sacerdote dicebatur vobis, fratres, *et* vos, fratres, *a Ministris dicitur* tibi, Pater, *et* te, Pater.

Postea Sacerdos, junctis manibus, facit absolutionem, dicens :

MISEREATUR vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Signat se signo crucis, dicens :

INDULGENTIAM, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et inclinatus prosequitur :

℣. Deus, tu conversus vivificabis nos.

℟. Et plebs tua lætabitur in te.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Et extendens ac jungens manus, elata voce dicit Oremus, *et ascendens ad altare dicit secreto :*

AUFER a nobis, quæsumus, Domine, iniquitates nostras : ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde, manibus junctis super altare, inclinatus dicit:

ORAMUS te, Domine, per merita Sanctorum tuorum *(osculatur altare in medio)*, quorum reliquiæ hic sunt, et omnium Sanctorum : ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

In Missa solemni, Celebrans, antequam legat Introitum, benedicit incensum, dicens :

Ab illo bene † dicaris, in cujus honore cremaberis. Amen.

Et accepto thuribulo a Diacono, incensat altare nihil dicens. Postea Diaconus, recepto thuribulo a Celebrante, incensat illum tantum.

Deinde Celebrans, signans se signo crucis, incipit Introitum : quo finito, junctis manibus, alternatim cum Ministris dicit :

KYRIE, eleison. Kyrie, eleison. Kyrie, eleison. Christe ,eleison. Christe, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Kyrie, eleison. Kyrie, eleison.

Postea in medio altaris, extendens et jungens manus, caputque aliquantulum inclinans, dicit, si dicendum est, Gloria in excelsis Deo, *et prosequitur, junctis manibus. Cum dicit* Adoramus te, Gratias agimus tibi, *et* Jesu Christe, *et* Suscipe deprecationem, *inclinat caput, et in fine dicens* Cum Sancto Spiritu, *signat se a fronte ad pectus.*

GLORIA in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine, Fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus al-

tissimus, Jesu Christe. Cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Sic dicitur Gloria in excelsis, *etiam in Missis beatæ Mariæ, quando dicenda est.*

Deinde osculatur altare in medio, et versus ad populum, dicit ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Postea dicit Oremus, *et Orationes, unam aut plures, ut ordo officii postulat. Sequitur* Epistola, Graduale, Tractus, *vel* Alleluia, *cum* Versu, *aut* Sequentia, *ut tempus postulat.*

His finitis, si est Missa solemnis, Diaconus deponit librum Evangeliorum super medium altaris, et Celebrans benedicit incensum ut supra: deinde Diaconus genuflexus ante altare, manibus junctis, dicit:

MUNDA cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito : ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea accipit librum de altari, et rursus genuflexus petit benedictionem a Sacerdote, dicens :

Jubè, domne, benedicere.

Sacerdos respondet :

DOMINUS sit in corde tuo et in labiis tuis : ut digne et competenter annunties Evangelium

suum : In nomine Patris, et Filii, † et Spiritus Sancti. Amen.

Et accepta benedictione, osculatur manum Celebrantis : et cum aliis Ministris, incenso et luminaribus, accedens ad locum Evangelii, stans junctis manibus, dicit ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et pronuntians* Sequentia sancti Evangelii secundum N., *sive* Initium, *pollice dextræ manus signat librum in principio Evangelii quod est lecturus, deinde seipsum in fronte, ore, et pectore : et dum Ministri respondent* Gloria tibi, Domine, *incensat ter librum, postea prosequitur Evangelium, junctis manibus. Quo finito, Subdiaconus defert librum Sacerdoti, qui osculatur Evangelium, dicens* Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta. *Deinde Sacerdos incensatur a Diacono.*

Si vero Sacerdos sine Diacono et Subdiacono celebrat, delato libro ad aliud cornu altaris, inclinatus in medio, junctis manibus dicit :

MUNDA cor meum, *ut supra, et* Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis : ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

Deinde conversus ad librum, junctis manibus, dicit ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et

cum spiritu tuo. *Et pronuntians* Initium, *sive* Sequentia, sancti Evangelii, etc., *signat librum, et se in fronte, ore, et pectore, et legit Evangelium, ut dictum est. Quo finito, respondet Minister* Laus tibi, Christe; *et Sacerdos osculatur Evangelium, dicens* Per evangelica dicta, *ut supra.*

In Missis defunctorum dicitur Munda cor meum, *sed non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, nec Celebrans osculatur librum.*

Deinde ad medium altaris extendens, elevans et jungens manus, dicit, si dicendum est, Credo in unum Deum, *et prosequitur junctis manibus. Cum dicit* Deum, *caput cruci inclinat : quod similiter facit, cum dicit* Jesum Christum, *et* Simul adoratur. *Ad illa autem verba* Et incarnatus est, *genuflectit usque dum dicatur* Et homo factus est. *In fine, ad* Et vitam venturi sæculi, *signat se signo crucis a fronte ad pectus.*

CREDO in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei

unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. *Hic genuflectitur.* Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine : Et HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis : sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem : qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Deinde osculatur altare, et, versus ad po-

pulum, dicit ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Postea dicit* Oremus, *et Offertorium. Quo dicto, si est Missa solemnis, Diaconus porrigit Celebranti patenam cum hostia : si privata, Sacerdos ipse accipit patenam cum hostia, quam offerens dicit :*

SUSCIPE, Sancte Pater omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis : ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

Deinde faciens crucem cum eadem patena, deponit hostiam super corporale. Diaconus ministrat vinum, Subdiaconus aquam in calice; vel, si privata est Missa, utrumque infundit Sacerdos, et aquam miscendam in calice bene † dicit, dicens :

DEUS qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti : da nobis per hujus aquæ

et vini mysterium, ejus Divinitatis esse consortes qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus : Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In Missis pro defunctis dicitur prædicta oratio, sed aqua non benedicitur.

Postea accipit calicem et offert dicens :

OFFERIMUS tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam : ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Deinde facit signum crucis cum calice, et illum ponit super corporale, et palla cooperit : tum junctis manibus super altare, aliquantulum inclinatus, dicit :

IN spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine : et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Erectus expandit manus, easque in altum

porrectas jungens, elevatis ad cœlum oculis, et statim demissis, dicit :

VENI, Sanctificator omnipotens, æterne Deus : *Benedicit oblata, prosequendo :* et bene † dic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum.

Postea, si solemniter celebrat, benedicit incensum, dicens :

PER intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene † dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et accepto thuribulo a Diacono, incensat oblata modo in rubricis generalibus præscripto, dicens :

INCENSUM istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Deinde incensat altare dicens (Ps. 140.) :

DIRIGATUR, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis : ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Dum reddit thuribulum Diacono, dicit :

ACCENDAT in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ caritatis. Amen.

Postea incensatur Sacerdos a Diacono, deinde alii per ordinem. Interim Sacerdos lavat manus, dicens (Ps. 25) :

LAVABO inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo : in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

In Missis pro defunctis, et tempore Passionis in Missis de Tempore omittitur Gloria Patri.

Deinde aliquantulum inclinatus in medio altaris, junctis manibus super eo, dicit :

SUSCIPE, sancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Jesu Christi Domini nostri : et in honorem beatæ Mariæ semper Virginis, et beati Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum et omnium Sanctorum : ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem ; et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea osculatur altare, et versus ad populum, extendens et jungens manus, voce paululum elevata dicit :

ORATE, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Minister, seu circumstantes respondent, alioquin ipsemet Sacerdos :

SUSCIPIAT Dominus sacrificium de manibus tuis (*vel* meis), ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

Sacerdos submissa voce dicit Amen.

Deinde manibus extensis, absolute sine Oremus, *subjungit Orationes secretas. Quibus finitis, cum pervenerit ad conclusionem, clara voce dicit* Per omnia sæcula sæculorum, *cum Præfatione. Præfatio incipitur ambabus manibus positis hinc inde super altare, quas aliquantulum elevat, cum dicit* sursum corda. *Jungit eas ante pectus et caput inclinat cum dicit,* Gratias agamus Domino Deo nostro.

Deinde disjungit manus et disjunctas tenet usque ad finem Præfationis : qua finita, iterum jungit eas,et inclinatus dicit Sanctus. *Et cum dicit* Benedictus qui venit, *signum crucis sibi producit a fronte ad pectus.*

SANCTUS, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

CANON MISSÆ

Sacerdos, extendens, elevans et jungens manus, elevans ad cœlum oculos et statim demittens, profunde inclinatus ante altare, manibus super eo positis, dicit :

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, *Osculatur altare*, uti accepta habeas, et benedicas, *Jungit manus, deinde signat ter super oblata*, hæc † dona, hæc † munera, hæc † sancta sacrificia illibata, *Extensis manibus prosequitur* : in primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N., et Antistite nostro N., et omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.

Commemoratio pro Vivis.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., *Jungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit; deinde manibus extensis prosequitur :* et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio : pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque om-

nibus, pro redemptione animarum suarum,pro spe salutis et incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo,vivo et vero.

Infra Actionem.

COMMUNICANTES et memoriam venerantes,in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, Genitricis Dei et Dñi nostri Jesu Christi:sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. *Jungit manus.* Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

HANC igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab

æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. *Jungit manus.* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

QUAM oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, *Signat ter super oblata,* bene † dictam, adscri † ptam, ra † tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; *Signat semel super hostiam et semel super calicem* : ut nobis Cor † pus et San † guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

QUI pridie quam pateretur, *Accipit hostiam,* accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, *Elevat oculos ad cœlum :* et elevatis oculis in cœlum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, *Signat super hostiam,* bene † dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis secrete, distincte et attente super hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Prolatis verbis consecrationis, statim hostiam consecratam genuflexus adorat; surgit, ostendit populo, reponit super corporale, iterum adorat; et non disjungit pollices et indices, nisi quando hostia tractanda est, usque ad ablutionem digitorum.

Tunc detecto calice, dicit:

SIMILI modo postquam cœnatum est, *Ambabus manibus accipit calicem,* accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, *Sinistra tenens calicem, dextra signat super eum,* bene † dixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes.

Profert verba consecrationis super calicem attente, continuate et secrete, tenens illum parum elevatum.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Prolatis verbis consecrationis, deponit calicem super corporale, dicens secrete:

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Genuflexus adorat, surgit; ostendit populo, deponit, cooperit, et iterum adorat. Deinde disjunctis manibus, dicit :

UNDE et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ Passionis, necnon et ab inferis Resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ Ascensionis, offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis, *Jungit manus, et signat ter super hostiam et calicem simul,* hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, *Signat semel super hostiam, et semel super calicem,* panem † sanctum vitæ æternæ, et calicem † salutis perpetuæ.

Extensis manibus, prosequitur :

SUPRA quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, san-

ctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Profunde inclinatus, junctis manibus et super altare positis, dicit:

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus: jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ, ut quotquot, *Osculatur altare,* ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui, *Jungit manus et signat semel super hostiam, et semel super calicem,* Cor † pus et San † guinem sumpserimus, *Seipsum signat,* omni benedictione cœlesti et gratia repleamur. *Jungit manus.* Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis.

MEMENTO etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. *Jungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit; deinde extensis manibus, prosequitur:* Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, depreca-

mur. *Jungit manus et caput inclinat.* Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Manu dextra percutit sibi pectus, elata parum voce dicens :

NOBIS quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus : cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. *Jungit manus.* Per Christum Dominum nostrum.

PER quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, *Signat ter super hostiam et calicem simul, dicens :* Sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis, et præstas nobis. *Discooperit calicem, genuflectit, accipit Sacramentum dextra, tenens sinistra calicem : signat cum hostia ter a labio ad labium calicis, dicens* Per i † psum, et cum i † pso, et

in i†pso, *Bis signat inter calicem et pectus,* est tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † Sancti, *Elevans parum calicem cum hostia, dicit* omnis honor et gloria. *Reponit hostiam, cooperit calicem, genuflectit, surgit et dicit :*

PER omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
Jungit manus.

OREMUS

PRÆCEPTIS salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere :
Extendit manus.

PATER noster, qui es in cœlis : sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Sacerdos submissa voce dicit Amen.

Deinde accipit patenam inter indicem et medium digitos, et dicit :

LIBERA nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus et

futuris; et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis, Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, *Signat se cum patena a fronte ad pectus, et eam osculatur*, da propitius pacem in diebus nostris; ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. *Submittit patenam hostiæ, discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit hostiam, frangit eam super calicem per medium, dicens* Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum; *Partem, quæ in dextra est, ponit super patenam. Deinde ex parte, quæ in sinistra remansit, frangit particulam, dicens* Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Aliam mediam partem cum ipsa sinistra ponit super patenam, et dextra tenens particulam super calicem, sinistra calicem, dicit: PER omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. *Cum ipsa particula signat ter super calicem, dicens:*

Pax † Domini sit † semper vobis † cum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Particulam ipsam immittit in calicem, dicens secrete :

HÆC commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

Cooperit calicem, genuflectit, surgit, et inclinatus Sacramento, junctis manibus, et ter pectus percutiens, dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

In Missis pro defunctis non dicitur Miserere nobis, *sed ejus loco* Dona eis requiem, *et in tertio additur* sempiternam.

Deinde junctis manibus super altare, inclinatus dicit sequentes orationes :

DOMINE Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : ne respicias peccata mea,

sed fidem Ecclesiæ tuæ : eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris.Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Si danda est pax, osculatur altare, et dans pacem dicit :

Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

In Missis defunctorum non datur pax, neque dicitur præcedens oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris,cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti; libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis, et fac me tuis semper inhærere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo,non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate

prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Genuflectit, surgit, et dicit :

PANEM cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Deinde parum inclinatus, accipit ambas partes hostiæ inter pollicem et indicem sinistræ manus, et patenam inter eumdem indicem et medium, et dextra percutiens pectus, elevata aliquantulum voce, dicit ter devote et humiliter :

DOMINE non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Postea dextra se signans cum hostia super patenam, dicit :

CORPUS Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Sumit reverenter ambas partes hostiæ, jungit manus, et quiescit aliquantulum in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde

discooperit calicem, genuflectit, colligit fragmenta, si quæ sint, extergit patenam super calicem, interim dicens :

QUID retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Accipit calicem manu dextra, et eo se signans, dicit :

SANGUIS Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Sumit totum Sanguinem cum particula. Quo sumpto, si qui sunt communicandi, eos communicet antequam se purificet. Postea dicit :

QUOD ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus : et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Interim porrigit calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat, deinde prosequitur :

CORPUS tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhæreat visce-

ribus meis : et præsta ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Abluit digitos, et extergit, et sumit ablutionem; extergit os et calicem, quem operit, et, plicato corporali, collocat in altari ut prius : deinde prosequitur Missam.

Dicto post ultimam orationem,

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Dicit pro Missæ qualitate :

Vel Ite, Missa est.

Vel Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

In Missis defunctorum dicit :

Requiescant in pace. ℟. Amen.

Tempore Paschali, hoc est a Missa Sabbati sancti usque ad Sabbatum in Albis inclusive :

Ite, Missa est, alleluia, alleluia.

Dicto Ite, Missa est, *vel* Benedicamus Domino, *Sacerdos inclinat se ante medium altaris et manibus junctis super illud, dicit :*

PLACEAT tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, et præsta : ut sacrifi-

cium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde osculatur altare, et elevatis oculis, extendens, elevans et jungens manus, caputque cruci inclinans, dicit Benedicat vos omnipotens Deus, *et versus ad populum, semel tantum benedicens, etiam in Missis solemnibus, prosequitur :* Pater, et Filius † et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Deinde in cornu Evangelii, dicto Dominus vobiscum, *et* Initium, *vel* Sequentia sancti Evangelii, *signans altare vel librum, et se, ut supra in Evangelio Missæ, legit Evangelium secundum Joannem,* In principio erat verbum, etc., *vel aliud Evangelium. Cum dicit* Et verbum caro factum est, *genuflectit. In fine,* ℟. Deo gratias.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem. C. 1.

IN principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per

ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

In Missis defunctorum non datur Benedictio, sed dicto Requiescant in pace, *dicit* Placeat tibi,

sancta Trinitas, etc.; *deinde osculato altari, legit Evangelium S. Joannis, quo finito, discedens ab altari, pro gratiarum actione dicit antiphonam :* Trium puerorum, *cum reliquis, ut habetur in principio Missalis.*

PRECES RECITANDÆ POST MISSAM

EX MANDATO LEONIS XIII

(Indulgentia 300 *dierum).*

TER AVE MARIA

Salve, Regina, mater misericordiæ; vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules filii Hevæ. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria !

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

DEUS, refugium nostrum et virtus, populum ad te clamantem propitius respice, et intercedente gloriosa et Immaculata Virgine Dei Genitrice Maria, cum beato Joseph ejus Sponso, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, quas pro conversione peccatorum, pro libertate et exaltatione sanctæ Matris Ecclesiæ preces effundimus, misericors et benignus exaudi. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

SANCTE Michael Archangele, defende nos in prælio; contra nequitiam et insidias diaboli esto præsidium. Imperet illi Deus supplices deprecamur : tuque, Princeps militiæ cœlestis, Satanam aliosque Spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrude.

℟. Amen.

(*Indulgentia* 300 *dierum si addatur ter :* Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis. *Pius X.*)

PRECES POST MISSAM

ANTIPHONA. Trium puerorum * cantemus hymnum: quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur; et tempore paschali additur in fine Alleluia.

DANIEL III

BENEDICITE omnia opera Domini Domino : * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino :* benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino :* benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino:* benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino : * benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino : * benedicite frigus et æstus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino : * benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino : * benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino : * benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Domino : * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : * benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia quæ moventur in aquis, Domino : * benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino : * benedicite filii hominum Dño.

Benedicat Israel Dominum : * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Dño : * benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animæ justorum Domino : * benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael, Domino : * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu : * laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli : * et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

PSALMUS CL

LAUDATE Dominum in sanctis ejus : * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ : * laudate eum in psalterio et cythara.

Laudate eum in tympano et choro : * laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus : * laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, etc.

Deinde repetitur antiphona : Trium puerorum cantemus hymnum : quem canta-

bant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Postea Sacerdos dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster...

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis.

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

DEUS, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a

te semper incipiat,et per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæsumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere : qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO S. THOMÆ

GRATIAS tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam : sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis : sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, caritatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium tam visibilium quam invisibilium firma defensio; motuum meorum tam carna-

lium quam spiritualium perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO S. BONAVENTURÆ

TRANSFIGE, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et liquefiat anima mea, solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulce-

dinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ; te semper sitiat fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa, et firma, et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

ABSOLUTIONIS FORMA

Pœnitens ait :

BENEDIC mihi, Pater, quia peccavi.

Sacerdos benedicens, dicit laudabiliter :

DOMINUS † sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua.

EX RITUALI

Sacerdos, cum pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia, primo dicit :

MISEREATUR tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Deinde dextra versus pœnitentem elevata, dicit :

INDULGENTIAM, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dñus. Amen.

DOMINUS noster Jesus Christus te absolvat; et ego, auctoritate ipsius, te absol-

vo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis), et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum suspensionis.

PASSIO Domini nostri Jesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest Misereatur.., etc., *et satis erit dicere :* Dominus noster Jesus Christus., etc., *ut supra, usque ad illud :* Passio Domini, etc.

Urgente vero aliqua gravi necessitate, in periculo mortis, breviter dicere poterit :

EGO te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

ORDO MINISTRANDI

COMMUNIONEM EXTRA MISSAM

Sacerdos SS. Eucharistiam ministraturus, lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris officio illius diei convenientis, præcedente Clerico, seu alio Ministro, procedit ad altare, manibus junctis, et accensis cereis, facta prius ac postea genuflexione, extrahit pyxidem, et illam super corporale depositam discooperit.

Minister, genibus flexis, nomine populi ad cornu Epistolæ facit confessionem generalem, dicens *Confiteor Deo, etc.*

Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis ante pectus vertit se ad populum, advertens ne terga vertat Sacramento, et in cornu Evangelii dicit :

Misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Et addit : Indulgentiam, absolutionem † et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Dicens Indulgentiam, etc., *manu dextra in formam crucis signat communicandos.*

Deinde ad altare se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem prehendit, et duobus digitis, pollice et indice, Sacramentum accipit et elevat; conversusque ad populum, in medio altaris dicit clara voce :

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Mox subdit : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea. *Quod iterum ac tertio repetit : qua formula etiam utendum est, cum feminæ communio administratur.*

Postea ad communicandum accedit, incipiens ab iis qui sunt ad partem Epistolæ; sed primo, si sacerdotibus vel aliis ex clero danda communio, iis ad gradus altaris genuflexis præbeatur, vel, si commode fieri potest, intra sepimentum altaris sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent.

Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo signum crucis super pyxidem, simul dicit :

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad altare dicere poterit :

O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. (*T. P.* Alleluia).

℣. Panem de cœlo præstitisti eis. (*T. P.* Alleluia).

℟. Omne delectamentum in se habentem. (*T. P.* Alleluia).

Mox Sacerdos dicit :

℣℣. Dñe, exaudi... Dominus vobiscum..

OREMUS

Ut infra, pag. 79. Deus, qui nobis...

Tempore Paschali dicitur Oratio :

SPIRITUM nobis, Domine, tuæ caritatis infunde : ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat ut, si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in pyxidem deponat, et

eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat et abstergat purificatorio.

Postea genuflectens, reponit Sacramentum in tabernaculo et clavi obserat.

Deinde, extensa manu dextra, benedicit iis qui communicarunt, dicens :

BENEDICTIO Dei omnipotentis, Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

ORDO MINISTRANDI

VIATICUM SS. CORPORIS D. N. J. C.

SACERDOS indutus superpelliceo, et, stola, et, si haberi potest, pluviali albi coloris, acceptas aliquot particulas consecratas ponat in pyxide quam proprio suo operculo cooperit; et velum sericum superimponat : imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, et deinde umbellam seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.

Sacerdos Sacramentum gestans elevatum ante pectus sub umbella, aicit Psalmum Miserere, *et alios Psalmos, et Cantica; ingrediens vero locum ubi jacet infirmus, dicat :*

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus : et mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum et cubiculum, dicens antiphonam : Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor : *et primum versum Psalmi* Miserere, *cum* Gloria Patri, etc., Sicut erat, etc.

Deinde repet. Ant. Asperges. *Postea* ℣℣. Adjutorium.. Dñe exaudi.. Dñus vobiscum.

OREMUS

EXAUDI nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoscat num sit bene dispositus ad accipiendum sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua

peccata confiteri; et illum audiat, atque absolvat: quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat.

Postea facta de more Confessione generali sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit: Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem † et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Deinde, facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; *et more solito ter dicat:* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce.

Tum Sacerdos dans infirmo sanctam Eucharistiam, dicat: Accipe, frater, (*vel* soror), Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste

maligno, et perducat in vitam æternam. Amen.

Si communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario Misereatur vestri, *et* Corpus Domini, etc.

Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto Misereatur, etc. *prædictis precibus omnibus vel ex parte omissis, ei statim Viaticum præbeatur.*

Data Communione, et ablutis digitis, dicat:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro (*vel* sorori nostræ) sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpori quam animæ prosit ad remedium sempiternum. Qui tecum vivit...

His expletis, genuflectit, surgit, et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad ecclesiam, dicendo Psalm.

Laudate Dominum de cœlis, etc., *et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.*

Cum pervenerit ad ecclesiam, ponit Sacramentum super altare, adorat, deinde dicit :

℣. Panem de cœlo præstitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde annuntiat indulgentias a Summis Pontificibus concessas sanctissimum Sacramentum comitantibus.

Postea, cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

ORDO MINISTRANDI
SACRAM. EXTREMÆ UNCTIONIS

Sacerdos illud Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas in quo sit bombacium, seu quid simile, in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos; et aquam ad abluendas Sacerdotis manus; ceream item candelam, quæ deinde accensa ipsi ungenti lumen præbeat. Denique operam dabit ut, quanta poterit munditia ac nitore, hoc Sacramentum ministretur.

Cum perventum fuerit ad locum ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit :

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo stolaque violacea indutus, ægroto crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis cum aqua benedicta, et cubiculum et circumstantes aspergit, dicens : Ant. Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor : lavabis me et super nivem dealbabor.

Postea dicat: ℣. Adjutorium nostrum... Dominus vobiscum.

OREMUS

INTROEAT, Domine Jesu Christe, domum hanc, sub nostræ humilitatis ingressu, æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, caritas fructuosa, sanitas sempiterna : effugiat ex hoc loco accessus dæmonum ; adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum : et benedic † nostræ conversationi ; sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus et deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo benedicat † hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det eis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates : eripiat eos ab omni formidine, et ab omni perturbatione, ac sanos in hoc ta-

bernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

OREMUS

EXAUDI nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quæ Orationes, si tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti.

Tunc, de more facta Confessione generali, Sacerdos dicat Misereatur, etc., Indulgentiam, etc.

Antequam Sacerdos incipiat ungere infirmum, moneat adstantes ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero vel qualitate, recitent septem Psalmos pœnitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat :

In nomine Patris †, et Filii †, et Spi-

ritus † Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. ℟. Amen.

Deinde, intincto pollice in Oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.

Ad oculos.

Per istam sanctam unctionem †, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.

Minister vero, si est in sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

Eamdem formam iterabit ad alios sensus, substituendo suo loco verba : Per auditum. — Per odoratum. — Per gustum et locu-

tionem.— Per tactum.— Per gressum.— Per lumborum delectationem.

Et adverte quod Sacerdotibus manus non inunguntur interius, sed exterius.

Unctio ad lumbos semper omittitur in feminis, et etiam in viris, qui, ob infirmitatem, vix aut sine periculo moveri non possunt.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit :

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster...

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*v.* salvam fac ancillam tuam). ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei, Dñe, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum (*v.* eam).

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo (*v.* ea).

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum....

OREMUS

DOMINE Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es : Infirmatur quis in vobis ? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum : et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei : cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Sancti Spiritus, languores istius infirmi (*v.* infirmæ), ejusque sana vulnera, et dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis et corporis ab eo (*v.* ea) expelle, plenamque interius et exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ restitutus (*v.* restituta), ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS

RESPICE, quæsumus, Domine, famulum tuum (*v.* famulam tuam) N., in infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove quam creasti : ut castigationibus

emendatus (*v.* emendata), se tua sentiat medicina salvatum (*v.* salvatam). Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

DOMINE sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut famulum tuum (*v.* famulam tuam), ab ægritudine liberatum (*v.* liberatam), et sanitate donatum (*v.* donatam), dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ, cum omni desiderata prosperitate, restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

N. B. Si quis autem laborat in extremis et periculum immineat ne decedat, antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco : *Per istam sanctam unctionem, etc.*

In casu veræ necessitatis sufficit forma : *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen. (Ex S. Congr. S. R. et U. Inquisitionis Decret. die* 25 *aprilis* 1906*).*

RITUS BENEDICTIONIS APOSTOLICÆ

IN ARTICULO MORTIS A SACERDOTIBUS AD ID DELEGATIS IMPERTIENDÆ

Benedictio in articulo mortis, cum soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea linguæ, cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat : *Pax huic domui, etc.*, ac deinde ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Ant. *Asperges me, etc.*

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis : de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam

patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate, eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam.

Sacerdos dicat :

℣. Adjutorium nostrum † in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*v.* ancillæ tuæ), neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster...

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*v.* salvam fac ancillam tuam).

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

CLEMENTISSIME Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis,

qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem : secundum multitudinem miserationum tuarum, respice propitius famulum tuum N., quem (*v.* ancillam tuam N., quam) tibi vera fides et spes christiana commendat. Visita eum (*v.* eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge; ut ejus anima, in hora exitus sui, te judicem propitiatum inveniat, et in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc, dicto ab uno ex Clericis adstantibus Confiteor, etc., *Sacerdos dicat* Misereatur, etc., *Deinde :*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam, recipiat confessionem tuam et restituat tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti : et ego, facultate mihi ab Aposto-

lica Sede tributa, Indulgentiam Plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris † et Filii, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater †, et Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur, dicendo : *Dominus noster...* ut supra.

Si mors proxime urgeat, dicat : *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ

Sacerdos ad decedentis animæ commendationem accedens, Clericum saltem unum, si potest secum habeat, qui deferat vasculum aquæ benedictæ, superpelliceum, et stolam violaceam, quibus ipse Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens, dicat :

Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergat ægrotum, lectum, et circumstantes aqua benedicta, dicens Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, etc.

Postea Salvatoris nostri crucifixi imaginem ægroto osculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens salutis suæ spem sumat.

Deinde accensa candela, genibus flexis cum omnibus circumstantibus, breves Litanias devote recitet, in hunc modum :

KYRIE eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Sancta Maria, ora pro eo (*vel* ea).
Omnes Sancti Angeli et Archangeli, orate.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justorum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes Sti Patriarchæ et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.

Sancte Joannes, ora.
Omnes S^ti Apostoli et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes S^ti Pontifices et Confess., orate.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Camille, ora.
Sancte Joannes de Deo, ora.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Lucia, ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate.
Omnes S^ti et S^tæ Dei, intercedite.
Propitius esto, parce ei, Domine.
Propitius esto, libera eum (*v.* eam), Dñe.
Propitius esto, lib.
Ab ira tua, lib.
A periculo mortis, lib.

A mala morte, lib.
A pœnis inferni, lib.
Ab omni malo, lib.
A potestate diaboli, lib.
Per nativitatem tuam, lib.
Per crucem et passionem tuam, lib.
Per mortem et sepulturam tuam, lib.
Per gloriosam resurrectionem tuam, lib.
Per admirabilem ascensionem tuam, lib.
Per gratiam Spiritus sancti Paracliti, lib.
In die judicii, lib.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogamus, audi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Deinde, cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes :

ORATIO

PROFICISCERE, anima christiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit : in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est : in nomine Spiritus Sancti, qui in te

effusus est : in nomine Angelorum et Archangelorum : in nomine Thronorum et Dominationum: in nomine Principatuum et Potestatum : in nomine Cherubim et Seraphim : in nomine Patriarcharum et Prophetarum : in nomine sanctorum Apostolorum et Evangelistarum : in nomine sanctorum Martyrum et Confessorum: in nomine sanctorum Monachorum et Eremitarum : in nomine sanctarum Virginum, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei : hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in Sancta Sion. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORATIO

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas : respice propitius super hunc famulum tuum N., (*v.* hanc famulam tuam N.) et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exau-

di. Renova in eo (*v.* ea), piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est : et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus : et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

COMMENDO te omnipotenti Deo, carissime frater (*v.* carissima soror), et ei, cujus es creatura, committo, cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris. Ad Auctorem tuum qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidus Angelorum cœtus occurrat : judex Apostolorum tibi senatus adveniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet : liliata rutilantium te Confessorum turba circumdet : jubilantium te Virginum chorus excipiat, et beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat : mitis atque festivus

Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis.Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis : in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei; et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareæ legiones, et ministri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra Paradisi sui semper amœna virentia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat, atque ad dexteram suam in electorum

suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus (*v.* constituta) igitur inter agmina Beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

ORATIO

SUSCIPE, Domine, servum tuum (*v.* ancillam tuam) in locum sperandæ sibi salvationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui (*v.* ancillæ tuæ, *et sic deinceps*), ex omnibus periculis inferni, et de laqueis pœnarum, et ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul, et de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut

liberasti Petrum et Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam, virginem et martyrem tuam, de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, et tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

ORATIO

COMMENDAMUS tibi, Domine, animam famuli tui N.,(*v.* famulæ tuæ N.), precamurque te, Domine Jesu Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero : quia non est alius Deus præter te, et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii; licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium,et Spiritum Sanctum non negavit,

sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

ORATIO

DELICTA juventutis, et ignorantias ejus, quæsumus, ne memineris, Domine : sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum (*v.* ancillam tuam) suscipe. Suscipiat eum (*v.*eam) sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, et perducant eum (*v.*eam) in civitatem cœlestem Jerusalem. Suscipiat eum (*v.*eam) B. Petrus Apostolus, cui a Deo claves regni cœlestis traditæ sunt. Adjuvet eum (*v.* eam) sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo (*v.*ea) sanctus Joannes, electus Dei Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo (*v.* ea) omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi.

Intercedant pro eo (*v.* ea) omnes Sancti et electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt : ut vinculis carnis exutus (*v.*exuta) pervenire mereatur ad gloriam regni cœlestis, præstante Domino nostro Jesu Christo : Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Si vero diutius laboret anima, poterit legi super eam Evangelium S. Joannis. Caput 17. 18. 19.

Oratio ad Dominum Jesum Christum de singulis articulis Passionis ejus, dicenda a moriente, vel ab alio pro eo.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci,atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsibus testibus accusari, flagellis

et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et mortem tuam, libera me, *(vel si alius dicit pro eo)* libera famulum tuum N., (*v.* famulam tuam) a pœnis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Dici præterea possunt Psalmi 117, 118.

Tres piæ et utiles morientibus Orationes, cum tribus Pater noster *et tribus* Ave Maria, *in agone mortis recitandæ.*

Primo dicitur : Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. — Pater noster. Ave Maria.

ORATIO

DOMINE Jesu Christe, per tuam sanctissimam agoniam et orationem, qua

orasti pro nobis in monte Oliveti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram : obsecro te, ut multitudinem sudoris tui sanguinei, quem præ timoris angustia copiosissime pro nobis effudisti, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, contra multitudinem omnium peccatorum hujus famuli tui N., (*v.* famulæ tuæ N.), et libera eum (*v.* eam) in hac hora mortis suæ ab omnibus pœnis et angustiis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Secundo dicitur : Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.—Pater noster. — Ave Maria.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in Cruce : obsecro te, ut omnes amaritudines passionum et pœnarum tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in Cruce, maxime

in illa hora, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, pro anima hujus famuli tui N.,(*v.* famulæ tuæ N.), et libera eum (*v.*eam) in hac hora mortis ab omnibus pœnis et passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tertio dicitur : Kyrie, eleison. Christe,eleison. Kyrie,eleison.—Pater noster. Ave Maria.

ORATIO

DOMINE Jesu Christe, qui per os Prophetæ dixisti : In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans : obsecro te, ut eamdem caritatem tuam, quæ te de cœlis in terram ad tolerandas omnium passionum tuarum amaritudines attraxit, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti, pro anima hujus famuli tui N., (*v.* famulæ tuæ N.), et libera eum (*v.*eam) ab omnibus passionibus et pœ-

nis, quas pro peccatis suis timet se meruisse. Et salva animam ejus in hora exitus sui. Aperi ei januam vitæ, et fac eum (*v.* eam) gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu, piissime Domine Jesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo, miserere animæ hujus famuli tui (*v.* famulæ tuæ), et eam introducere digneris ad semper virentia et amœna loca Paradisi, ut vivat tibi amore indivisibili, qui a te, et ab electis tuis nunquam separari potest. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

IN EXPIRATIONE

Cum vero tempus expirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet : JESU, JESU, JESU. *Quod, et ea quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat.* In manus tuas,

Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

Tunc ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana parochialis Ecclesiæ aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus in urbe, vel loco, aut extra in suburbanis existentibus, instantem mortem expirantis ægroti, ut pro eo Deum rogare possint.

Egressa anima de corpore, statim dicatur hoc : Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini,* Suscipientes animam ejus,* Offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus qui vocavit te, et in sinu Abrahæ Angeli deducant te.

℟. Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Requiem æternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei.* Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster...

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Requiem æternam dona ei, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. A porta inferi.
℟. Erue, Domine, animam ejus.
℣. Requiescat in pace.
℟. Amen.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

TIBI, Domine, commendamus animam famuli tui N., ut defunctus (*v.* famulæ tuæ N., ut defuncta) sæculo tibi vivat : et, quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIO PAPALIS

LITTERÆ CONCESSIONIS

Admodum Rev. P. Roothaan ita S. Pontifici postulatum proposuit : (Ex italico sermone).

Sanctissime Pater, Præpositus Generalis Societatis Jesu, ad Sanctitatis Vestræ pedes provolutus, attentis simul et felicissimis incrementis quæ sacræ missiones in variis regionibus, sive intra sive extra Europam, iterum suscepere, atque uberrimis fructibus quos ex illis animæ percipiunt, a S. V. humiliter postulat :

1. Ut absolutis exercitiis, dari possit ea benedictio quæ papalis vulgo dicitur, nempe quæ habetur ut a Summo Pontifice missa Christi fidelibus : quæ gratia olim Societati concessa erat, quaque hodie etiam gaudent alii missionarii.

2. Ut in regionibus ubi crux erigi solet, in missionis memoriam, fidelibus hanc crucem visitantibus et ad illam orantibus, facultas concedatur lucrandi indulgentiam centum dierum.

Respondit Pontifex : Romæ, die 19 januarii 1851. Benigne annuimus pro gratia, et Benedictio ut supra detur cum Imagine D. N. J. C.

Pius PP. IX.

Ex Indulto Pii IX, 4 maii 1851, *Sacerdotibus S. J. concessa fuit facultas alium delegandi Sacerdotem, sive regularem, sive sæcularem, ad hanc Benedictionem impertiendam.*

RITUS SERVANDUS

ADMONEATUR populus de Indulgentia a Sede Apostolica concessa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die quo visitanda est designata Ecclesia, de hora denique qua dabitur Pontificia Benedictio.

Postquam, statutis die et hora, populus ad Ecclesiam convenerit, alta voce legantur Litteræ Apostolicæ, seu Decreta quibus Indulgentia conceditur (*ut supra*), una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet, et concessio, ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa, pronuntietur; populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur; post quæ, Sacerdos, nullis circumstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus, ante altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret :

℣. Adjutorium... Salvum fac populum tuum Domine. ℟. Et benedic hæreditati tuæ... Dominus vobiscum...

Deinde stans, sequentem recitet orationem:

OMNIPOTENS et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto : et vota populi hujus, in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedi-

ctionem præstolantis et gratiam, clementer exaudi : dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinæ benedictionis effunde, qua, bonis omnibus cumulatus, felicitatem et vitam consequatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tunc Sacerdos ad cornu Epistolæ accedat, et ibidem populum benedicat cum imagine D. N. J. C. unico signo crucis, et proferens alta voce hæc verba :

Benedicat vos omnipotens Deus,† Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

℟. Amen.

N.B. *Aliquando Benedictio papalis datur e pulpito, vel foris, et quidem licite.— Ex rationabili causa satisfit obligationi legendi litteras concessionis dicendo :* Ex facultate a S. Sede concessa.

Concessit Pius X, ut eadem benedictio dari posset sub finem exercitiorum spiritualium.

FORMULA BENEDICTIONIS

CUM INDULGENTIA PLENARIA

PRO TERTIARIIS SÆCULARIBUS

Ant. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti Sanguine tuo pretioso, ne in æternum irascaris nobis.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster...

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis, Dñe, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum...

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere : suscipe deprecationem nostram, ut nos, et omnes famulos tuos quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis : ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende : ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris : preces populi tui supplicantis propitius respice ; et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Dicto deinde : Confiteor... Misereatur... Indulgentiam... *sacerdos prosequitur* :

Dominus noster Jesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis

vitam æternam, et vivatis in sæcula sæculorum. Amen.

Per sacratissimam passionem et mortem Domini nostri Jesu Christi, precibus et meritis beatissimæ semper Virginis Mariæ, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris nostri N. et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi commissa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris, et Filii, † et Spiritus Sancti. Amen.

Si hæc Indulgentia immediate post sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: Dominus noster Jesus Christus..., *et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Pro Tertiariis Ordinis S. Francisci, quando Sacerdos nequit formulam abbreviatam recitare, sufficit forma sequens: Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam omnium peccatorum tuorum Indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris, et Filii, † et Spiritus Sancti. Amen.

BENEDICTIONES VARIÆ

NOVÆ CRUCIS

Si fuerint plures, mutetur numerus.

℣℣. Adjutorium... Domine, exaudi... Dominus vobiscum.

OREMUS

ROGAMUS te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut digneris bene † dicere hoc Signum crucis tuæ; ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen et protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum... ℟. Amen.

BENE † DIC, Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate dæmonum, et superasti Passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. *Hic aspergat aqua benedicta.* Sanctificetur hoc signum Crucis, in nomine Patris,† et Filii,† et Spiritus † Sancti; ut orantes, inclinan-

tesque se propter Dominum ante istam Crucem, inveniant corporis et animæ sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem devote adorat, et osculatur, et idem faciunt quicumque voluerint. Si crux missionis habeat imaginem crucifixi, loco orat., Rogamus te, *dicitur oratio sequens*:Omnipotens, sempiterne Deus, qui sanctorum, etc., *ut pro* imagine et numismate.

IMAGINIS vel NUMISMATIS

℣. Adjutorium nostrum.... Domine, exaudi... Dominus vobiscum.

OREMUS

OMNIPOTENS, sempiterne Deus, qui sanctorum tuorum imagines (*sive* effigies) sculpi aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur : hanc, quæsumus, imaginem (*seu* sculpturam) in honorem et memoriam unigeniti Filii tui

Domini nostri Jesu Christi (*v.* beatissimæ Virginis Mariæ, Matris Domini nostri Jesu Christi, *v.* beati N., Apostoli tui, *v.* Martyris, Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam, bene † dicere et sancti † ficare digneris : et præsta, ut quicumque coram illa unigenitum Filium tuum (*vel* beatissimam Virginem Mariam, *v.* gloriosum Apostolum N., *v.* Martyrem, *v.* Pontificem, *v.* Confessorem, *v.* Virginem) suppliciter colere et honorare studuerit, illius precibus et obtentu a te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futurum. Per Christum Dominum...

Aspergat ultimo aqua benedicta.

ROSARIORUM B. M. V.

℣. Adjutorium nostrum... Domine, exaudi... Dominus vobiscum.

OREMUS

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui propter eximiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum,

Dominum nostrum Jesum Christum, de cœlis in terram descendere, et de beatissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ utero sacratissimo, angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli : obsecramus immensam clementiam tuam, ut *(hoc signum)* hæc signa rosarii in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli *(dicatum)* dicata bene † dicas et sancti † fices, *(eique)* eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque *(hoc)* horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in *(eo)* eis ad te, secundum hujus sanctæ Societatis instituta, divina contemplando mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et Indulgentiarum, quæ eidem Societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in

hoc sæculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per eumdem Dominum.... ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

FORMULA BREVIS

PRO BENEDICENDO ET IMPONENDO

SCAP. DE MONTE CARMELO

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣℣. Domine exaudi... Dominus vobiscum...

OREMUS

DOMINE Jesu Christe, humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum tuæque Genitricis Virginis Mariæ de Monte Carmelo amorem servus tuus devote est delaturus, dextera tua sancti † fica, ut eadem Genitrice tua intercedente, ab hoste maligno defensus in tua gratia

usque ad mortem perseveret : Qui vivis...

Deinde aspergat aqua benedicta habitum et postea ipsum imponat dicens :

ACCIPE hunc habitum benedictum, precans Sanctissimam Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, teque ab omni adversitate defendat et ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde dicat :

EGO, ex potestate mihi concessa, recipio te ad participationem omnium bonorum spiritualium quæ, cooperante misericordia Jesu Christi, a Religiosis de Monte Carmelo peraguntur. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

BENE † DICAT te Conditor cœli et terræ, Deus omnipotens, qui te cooptare dignatus est in confraternitatem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, quam exoramus, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis antiqui; atque palmam et coronam sempiternæ hæreditatis tandem consequaris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

INDULGENTIA PLENARIA

PRO CONFRATRIBUS CARMELI MORIBUNDIS

℣. Adjutorium nostrum... etc.
Confiteor... Misereatur... Indulg...

DOMINUS noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et remittat tibi omnia peccata quomodocumque per totum vitæ decursum a te commissa; et ego, auctoritate illius et BB. Apostolorum Petri et Pauli, per indulgentiam plenariam a Sede Apost. Confratribus B. Mariæ de M. Carmelo in mortis articulo constitutis concessam, remitto tibi omnem pœnam pro universis delictis tuis in Purgatorio tibi debitam, et restituo te illi puritati, quam in Baptismo accepisti : ita ut decedenti tibi ab hoc sæculo, clausæ sint portæ pœnarum et apertæ januæ paradisi. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti. Amen.

RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI

SCAPULARE CÆRULEUM

B. M. V. IMMACULATÆ

Qui suscepturus est Scapulare genuflectat; Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, capite detecto, dicat absolute :

℣. Adjutorium nostrum... Dominus vobiscum...

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam Conceptionis beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, necnon ut illo induti exorent in hominum pravorum morum reformationem, institutum fuit, bene † dicere digneris : ut hic famulus tuus, qui eo usus fuerit (*vel* hæc famula tua, quæ eo usa fuerit), eadem beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Si plures susceturi sint dicatur : hi famuli tui qui eo usi fuerint, (*vel* hæ famulæ tuæ quæ eo usæ fuerint).... mereantur.

Scapulare aqua benedicta aspergit, et imponit dicens :

ACCIPE, frater (*vel* soror), Scapulare Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ut ea intercedente, veterem hominem exutus (*vel* exuta), et ab omni peccatorum inquinamento mundatus (*vel* mundata), ipsum perferas sine macula, et ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea subjungit :

ET ego, ex facultate mihi concessa, recipio te (*vel* vos) ad participationem bonorum omnium spiritualium, quæ in Clericorum Regularium Congregatione ex gratia Dei fiunt, et quæ per sanctæ Sedis Apostolicæ privilegium concessa sunt. In nomine Patris, et Filii,† et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Dicat, trina vice, flexis genibus, Orationem sequentem, vulgari sermone, una cum adscriptis :

LAUDES ac gratiæ sint omni momento sanctissimo ac divinissimo Sacramento.

(*Indulg.* 100 *dier.* Decr. Pii VII 30 jun. 1818)

BENEDICTA sit sancta et immaculata Conceptio Beatæ Virginis Mariæ Matris Dei.

(*Indulg.* 300 *dier.* Brev. Leonis XIII 10 sept. 1878.)

Hortetur fideles ut hæc elogia sæpe sæpius repetant.

Scribat nomina Christifidelium qui S. Scapulare receperunt in folio Romam mittendo si facile, et quando fieri poterit.

RITUS BENEDICENDI ET IMPONENDI

SCAPULARE RUBRUM

PASSIONIS

Genuflexo qui suscepturus est Scapulare, Sacerdos superpelliceo et rubra stola indutus, capite detecto, dicat :

℣. Adjutorium nostrum... Dominus vobiscum... OREMUS

DOMINE Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus, te-

metipsum exinanivisti, formam servi accipiens, et factus obediens usque ad mortem Crucis, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus: ut hoc genus vestimenti, quod in honorem et memoriam dolorosissimæ Passionis tuæ, tuique sacratissimi Cordis, necnon et Cordis amantissimi ac compatientis Immaculatæ Matris tuæ institutum fuit, atque ut illo induti hæc mysteria devotius recolant, bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui (*v.* hæc famula tua, quæ) ipsum gestaverit, te quoque, per tua merita et intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ, induere mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Scapulare aspergit aqua benedicta, et imponit dicens:

ACCIPE, carissime frater, (*v.* carissima soror), hunc habitum benedictum: ut veterem hominem exutus (*v.* exuta), novumque indutus (*v.* induta), ipsum digne perferas, et ad vitam pervenias simpiternam. Per Christum.... ℟. Amen.

Deinde subjungit:

Et ego, ex facultate mihi concessa, recipio te (*v.* vos) ad participationem omnium bonorum spiritualium, quæ per sanctæ Sedis Apostolicæ privilegium huic sancto Scapulari, in gratiam Congregationis Misssionis, concessa sunt. In nomine Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti. ℟. Amen.

Denique dicatur trina vice :

Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Suscipientium nomina describantur, et ante elapsum annum Parisios mittantur, in Catalogo generali inscribenda.

FORMULA BENEDICENDI ET IMPONENDI

QUATUOR SCAPULARIA

SS. Trinitatis, Passionis D. N. J. C.
Immaculatæ Conceptionis,
ac **Septem Dolorum B. M. V.**

℣. Adjutorium nostrum.... Domine, exaudi... Dominus vobiscum...

OREMUS

Domine Jesu Christe, omnium caput fidelium, et humani generis Salvator,

qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es : obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut indumenta hæc in obsequium SS. Trinitatis instituta, nec non in honorem et memoriam dolorosissimæ Passionis tuæ, in honorem beatissimæ Virginis Matris tuæ sine labe conceptæ, doloresque tuos ac vices peramanter dolentis, ita bene † dicere et sancti † ficare digneris, ut qui (*vel* quæ) ea assumpserint, eadem Genitrice tua intercedente, te quoque Salutare nostrum, corpore et anima induere mereantur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Sacerdos aspergat aqua benedicta.

RITUS INDUÈNDI

Sacerdos omnibus scapularia singillatim imponat, ac deinde formulam proferat supra omnes simul.

1. Accipite habitum Ordinis SS. Trinitatis in fidei, spei, et caritatis augmentum, ut induatis novum hominem, qui

secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate.

2. Accipite scapulare Passionis Domini nostri Jesu Christi, ut veterem hominem exuti novumque induti, ipsum digne perferatis, et ad vitam perveniatis sempiternam.

3. Accipite scapulare devotorum B.M. V. sine labe conceptæ, ut ejus intercessione ab omni inquinamento mundati, ad vitam perveniatis æternam.

4. Accipite habitum Servorum B.M.V. septem Dolores ejus devote recolentium, ut dolores ipsos assidue recogitantes, Passionem D.N.J.C. in corde et corpore vestro impressam jugiter teneatis.

Ego, ex facultate apostolica mihi delegata, recipio vos in participationem bonorum spiritualium et indulgentiarum, quibus prædicti Ordines seu Congregationes pollent. In nomine † Patris, et † Filii, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis, Dñe, auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

ADESTO, Domine, supplicationibus nostris, et quibus in tuo nomine sacros habitus imposuimus, ita bene † dicere digneris, ut tuæ gratiæ cooperantes, vitam consequi mereantur æternam. Per Christum...

BENEDICTIO Dei omnipotentis, † Patris, et † Filii, et Spiritus † Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Formula recitetur numero singulari, si uni tantum personæ sint scapularia imponenda.

FORMULÆ BENEDICTIONUM

PRO RE QUACUMQUE

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

DEUS, cujus verbo sanctificantur omnia, bene † dictionem tuam effunde super Creaturam istam (*v.* Creaturas istas), et præsta, ut quisquis ea (*v.* eis) secundum legem, et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem Sanctissimi Nominis tui, corporis sanitatem, et animæ tutelam, te auctore, percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde rem (vel *res*) *Sacerdos aspergit aqua benedicta.*

AD PUEROS BENEDICENDOS

℣. Adjutorium nostrum... Dominus vobiscum...

OREMUS

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, pueris istis (*v.* puero *aut* puellæ isti) pro quibus (*v.* pro quo *aut* pro qua) tuam deprecamur clementiam, bene † dicere dignare, et per virtutem Sancti Spiritus corda eorum (*v.* earum *aut* ejus) corrobora, vitam sanctifica, castimoniam promove, sensus eorum (*v.* earum *aut* ejus) bonis operibus unice intentos custodi, prospera tribue, pacem concede, salutem confer, caritatem largire, et ab omnibus diabolicis atque humanis insidiis tua protectione et virtute semper defende, ut, te miserante, Paradisi requiem tandem assequantur. Per Dominum...

OREMUS

DOMINE Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos et ad te venientes complecte-

baris, (*hic ponat manus super capita puerorum*) manusque super illos imponens eis benedicebas, dicens : Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere eos; talium est enim regnum cœlorum; et : Angeli eorum semper vident faciem Patris mei; respice, quæsumus, ad pueri (*v.* puellæ) præsentis (*seu* puerorum *aut* puellarum præsentium) devotionem, et benedictio tua copiosa super eos (*v.* illas, illum *aut* illam) descendat, ut in tua gratia et caritate proficiant, (*v.* proficiat, *et sic deinceps*) te sapiant, te diligant, te timeant, mandata tua custodiant et ad exoptatum finem perveniant, per te, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti, descendat super vos (*v.* te), custodiat atque dirigat vos (*v.* te), et maneat semper vobiscum, (*v.* tecum). ℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat aqua benedicta.

AD INFIRMUM BENEDICENDUM

Sacerdos cubiculum ægrotantis ingrediens dicat : ℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Et continuo ad infirmum accedens subjungat : ℣℣. Adjutorium nostrum... Domine exaudi... Dominus vobiscum...

OREMUS

INTROEAT, Domine Jesu Christe, domum hanc ad nostræ humilitatis ingressum pax et misericordia tua : effugiat ex hoc loco omnis nequitia dæmonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum : et benedic nostræ conversationi : Qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

OREMUS

RESPICE Domine famulum tuum (*v.* famulam tuam) in infirmitate corporis

laborantem, et animam refove quam creasti : ut castigationibus emendatus (*v.* emendata), continuo se sentiat tua miseratione salvatum (*v.* salvatam). Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS

MISERICORS Domine, fidelium consolator, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ hunc famulum tuum (*v.* hanc famulam tuam) super lectum doloris sui jacentem, visitare digneris, sicut socrum Simonis visitasti : propitius adesto ei Domine, quatenus pristina sanitate recepta, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones : Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde, extendens dexteram versus caput ægroti, dicat :

DOMINUS Jesus Christus apud te † sit, ut te defendat : intra te † sit, ut te conservet : ante te † sit, ut te ducat : post te † sit, ut te custodiat : super † te sit, ut te benedicat : Qui cum Patre et Spiritu

Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

BENEDICTIO Dei omnipotentis, Patris, et Filii †, et Spiritus Sancti, descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Demum aspergat infirmum aqua benedicta.

AD DOMUM BENEDICENDAM

In ingressu. Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde loca aspergendo dicatur Ant. Asperges me Domine hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor. *Ps.* Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. ℟. Gloria Patri etc.

Et repetitur Ant. Asperges me Domine.

℣℣. Domine exaudi... Dominus vobiscum...

OREMUS

EXAUDI nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœ-

lis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

AD NOVAM DOMUM BENEDICENDAM

℣℣. Adjutorium nostrum... Dominus vobiscum...

OREMUS

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et habitatoribus ejus ac rebus : ut eam bene † dicere, et sancti † ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris : tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, et de pinguedine terræ vitæ substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum bene † dicere, et sancti † ficare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac et Jacob : et intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque et

ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

AD LOCUM BENEDICENDUM

Adjutorium... Domine exaudi... Dominus vobiscum...

OREMUS

BENEDIC † Domine, Deus omnipotens, locum istum (*vel* domum istam) : ut sit in eo (*v.* in ea) sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, et mansuetudo, plenitudo legis, et gratiarum actio Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; et hæc benedictio maneat super hunc locum (*v.* super hanc domum) et super habitantes in eo (*v.* in ea) nunc et in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

AD AQUAM BENEDICENDAM

DIEBUS Dominicis, et quandocumque opus fuerit, præparato sale et aqua munda benedicenda in Ecclesia, vel in Sacristia, Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus, primo dicit :

℣. Adjutorium nostrum in nomine Dñi.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

Deinde absolute incipit Exorcismum salis:

EXORCIZO te, creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ; ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium; et sis omnibus sumentibus te sanitas animæ et corporis; et effugiat atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia et nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

OREMUS

IMMENSAM clementiam tuam, omnipotens et æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene † dicere, et sancti † ficare tua pietate digneris: ut sit omnibus sumentibus, salus mentis et corporis; et quidquid ex eo

tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum...

Exorcismus aquæ, et dicitur absolute :

EXORCIZO te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris † omnipotentis, in nomine Jesu † Christi Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus † Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici; et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis : per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. R. Amen.

OREMUS

DEUS, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene † dictionis infunde : ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, mor-

bosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum : ut quidquid in domibus vel in locis fidelium, hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa : non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens : discedant omnes insidiæ latentis inimici ; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat : ut salubritas per invocationem sancti tui Nominis expetita, ab omnibus sit impugnantibus defensa. Per Dominum nostrum...

Hic ter mittit sal in aquam in modum crucis, dicendo semel :

COMMIXTIO salis et aquæ pariter fiat in nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

DEUS, invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ domina-

tionis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas : te, Domine, trementes et supplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti Nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

AD AQUAM S. IGNATII BENEDICENDAM

℣. Adjutorium nostrum in nomine Dñi.
℟. Qui fecit cœlum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

DOMINE sancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam muliplici pietate custodis, ad invocationem Nominis tui benignus assiste : ut, intercedente beato Ignatio Confessore tuo, famulos tuos, ab ægritudine liberatos et sanitate donatos, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ cum omni prosperitate restituas. Per Dominum...

Immergitur aquæ numisma seu reliquiarium sancti Ignatii, et immersum tenetur usque ad finem hujus Orationis :

BENE † DIC, Domine, hanc aquam, ut sit remedium salutare generi humano, et per intercessionem beati Ignatii, cujus numisma in eam immergitur (*v.* reliquiæ

in eam immerguntur), præsta, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Educitur ex aqua numisma vel reliquiarium.

OREMUS

DEUS, qui ad majorem tui Nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti, concede: ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per Dominum...

AD MENSAM BENEDICENDAM

ANTE PRANDIUM

Sacerdos benedicturus mensam, incipit : Benedicite, *et alii repetunt* Benedicite.

Deinde dicit : ℣. Oculi omnium, *et alii prosequuntur :* In te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Gloria Patri... Sicut erat...

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster... *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit :

BENEDIC, Domine, nos, et hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde lector : Jube, domne, benedicere.

Bened. Mensæ cœlestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ. ℟. Amen.

POST PRANDIUM

Sacerdos incipit : ℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. ℟. Et sancti tui benedicant tibi.

Gloria Patri... Sicut erat...

Postea Sacerdos absolute dicit :

AGIMUS tibi gratias omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis : qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

PSALMUS CXVI

LAUDATE Dominum, omnes gentes : * laudate eum, omnes populi :

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus : * et veritas Domini manèt in æternum.

Gloria Patri... Sicut erat...

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, sleison.

Sacerdos dicit : Pater noster... *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Dispersit, dedit pauperibus.

℟. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedicam Dominum in omni tempore.

℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Domino laudabitur anima mea.

℟. Audiant mansueti et lætentur.

℣. Magnificate Dominum mecum.

℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Deinde sine Oremus.

RETRIBUERE dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus proter nomen tuum vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Pater noster... *secreto.*

Quo finito, dicit Sacerdos :

℣. Deus det nobis suam pacem.

℟. Amen.

ANTE CŒNAM

Sacerdos benedicturus mensam, incipit : Benedicite, *et alii repetunt :* Benedicite.

Deinde Sacerdos incipit : ℣. Edent pauperes, et saturabuntur. *Et alii prosequuntur :* et laudabunt Dominum, qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Gloria Patri... Sicut erat...

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.., *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

OREMUS

BENEDIC, Domine, nos, et hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Jube, domne, benedicere.

Bened. Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ.

℟. Amen.

IN FINE CŒNÆ

Sacerdos incipit: ℣. Memoriam fecit mirabilium suorum. *Et alii prosequuntur* : Misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.

Gloria Patri... Sicut erat...

Sacerdos dicit : ℣. Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis : qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalm. Laudate Dominum, omnes gentes.., *et reliqua ut supra pag.* 144.

Quando semel comeditur, omnia dicuntur ut in cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore, præterquam diebus infra scriptis, quibus Versiculi et Psalmi tantum variantur.

IN NATIVITATE DOMINI

Usque ad cœnam Vigiliæ Epiphaniæ exclusive, dicitur :

℣. Verbum caro factum est, alleluia.

℟. Et habitavit in nobis, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

In fine dicitur :

℣. Notum fecit Dominus, alleluia.

℟. Salutare suum, alleluia.

Alia ut supra.

IN EPIPHANIA ET PER TOTAM OCTAVAM

℣. Reges Tharsis et insulæ munera offerent, alleluia. ℟. Reges Arabum et Saba dona adducent, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

In fine dicitur :

℣. Omnes de Saba venient, alleluia.

℟. Aurum et thus deferentes, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

Alia ut supra.

FERIA V. IN CŒNA DOMINI

Dicitur absolute et sine nota :

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

Deinde Pater noster... *totum secreto.*

Quo dicto, sine pronuntiatione aliqua, Sacerdos signo crucis benedicit mensam ; nec dicitur : Jube, domne...

Et in fine repetitur : ℣. Christus factus est.., *ut supra. Postea :*

Psalmus 50.

MISERERE mei, Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : * et a peccato meo munda me :

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor : * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam : * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis :* et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua : * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui : * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas : * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ : * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies : * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus : * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion : * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Quo finito, sine Gloria Patri.., *secreto dicitur :* Pater noster.

Deinde Sacerdos dicit absolute Orationem :

RESPICE, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum.

Non pronuntiatur Qui tecum, nec Fidelium animæ..., *sed secreto dicitur* Pater noster.., *nec additur* Deus det nobis suam pacem.

IN PARASCEVE

Eodem modo fit sicut in Cœna Domini, sed additur ad ℣. Christus factus est... Mortem autem Crucis.

SABBATO SANCTO

Ad benedicendam mensam dicitur :

Benedicite. ℟. Benedicite.

℣. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, alleluia. ℟. Venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulchrum, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

In fine repetitur ℣. Vespere autem... *ut supra, cum* Gloria Patri... Sicut erat...

Laudate Dominum... *Alia ut supra.*

IN DIE PASCHÆ

Et deinceps usque ad cœnam sequentis Sabbati, ad benedicendam mensam, dicitur :

℣. Hæc dies quam fecit Dominus, alleluia.

℟. Exultemus et lætemur in ea, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

In fine repetitur : Hæc dies... *cum* Gloria Patri... *Alia ut supra.*

IN ASCENSIONE DOMINI

Usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive :

℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluia.

℟. Et Dominus in voce tubæ, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

In fine dicitur :

℣. Ascendens Christus in altum, alleluia.

℟. Captivam duxit captivitatem, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

Alia ut supra.

IN PENTECOSTE

A Vigilia ejusdem inclusive, usque ad cœnam sequentis Sabbati exclusive :

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia. ℟. Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

In fine dicitur :

℣. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, alleluia.

℟. Et cœperunt loqui, alleluia.

Gloria Patri... Sicut erat...

Alia ut supra.

FORMULÆ BREVIORES

ANTE MENSAM

℣. Benedicite. ℟. Benedicite.

Benedic, Domine, nos et hæc tua dona quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

POST MENSAM

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

PRECES VARIÆ

I.—ANTE MISSAM
AUT
SANCTAM COMMUNIONEM

AD SS. TRINITATEM

MEMORIA memor ero, clementissime Pater, et tabescet in me anima mea, omniumque dolorum atque acerbissimæ mortis Filii tui Domini mei Jesu Christi cum lacrymis recordabor, quia ipse salus et vita mea pependit in ligno, offerens se tibi in holocaustum pro mea et totius mundi salute. Recordare itaque humilitatis ejus, patientiæ, caritatis, mansuetudinis et obedientiæ. Respice in faciem Christi tui; vide sanguinem pretiosissimum pro nostra salute misericorditer effusum, quem tibi offero, omni, quo possum, devotionis affectu suppliciter orans, ut avertas faciem tuam a peccatis meis, et ne despicias mihi creditæ dispensationis officium, licet in me boni operis testimonium non agnoscas.

Et quia, dulcissime Jesu, particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium electorum tuorum virtutes et merita, pios affectus erga te in venerabili sacramento existentem, in supplementum insufficientiæ meæ. Suscipe, Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum tuorum a mensa tua ne repellas me; quatenus hoc cibo satiatus, hoc potu recreatus vitam habeam, et abundantius habeam hic et in æternum.

Veni Sancte Spiritus, amor Patris et Filii, de patria felicitatis, et cordis mei penetralibus tam potenter illabere,ut vitia omnia, et omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuæ radium, quo illuminante intellectum, quæ tibi sunt placita videam; quo affectum inflammante, ad ea prosequenda tota virtute incumbam. Amen.

OBLATIO AD SS. COR JESU

O Cor Jesu sacratissimum, in oblatione hujus sacrificii, in quo effundis gratiæ

tuæ divitias, quarum dispensationem in animas mihi pauperi commisisti, fac me repleri sensibus humilitatis, reverentiæ, amoris, grati animi, et reparationis, quibuscum tuum in Cruce obtulisti sacrificium, et in medio nostri manes absconditum; te oro atque obtestor, o Cor dulcissimum, per hoc sacrificium, et per omnia in orbe terrarum hodie oblata sacrificia; fac etiam ut tota nostra Societas verum tui cultum noscat, amet, exequatur, atque totis viribus, juxta mandatum quod mandasti nobis, ubique promoveat, ut uberrimos, quos promisisti, salutis fructus afferamus omnes. Amen. *(P. Cl. Cathary).*

OBLATIO S. F. SALESII

O Domine mi, me totum cum hocce nobili Sacrificio tibi offero ac consecro. Ad tuum honorem et æternam gloriam, me offero et consecro salutarem et placabilem hostiam, in unione illius ardentissimi amoris et purissimæ intentionis, quibus teipsum in ultima Cœna, nobis

in cibum tradidisti et in ara Crucis sacrificium cruentum pro nobis obtulisti, et loco exiguæ meæ præparationis, ac præsertim meæ parvæ devotionis, tibi offero profundam illam humilitatem, caritatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima Mater et omnes tui fideles et famuli ad hoc SS. Sacramentum accesserunt, et quibus ornati Apostoli, imo omnes sancti Sacerdotes, hocce tremendum Sacrificium obtulerunt, a prima tua institutione usque ad præsens, et quibus nunc adornata tua sancta Ecclesia ubique locorum offert. (*S. Francisci Salesii*).

AD B. V. MARIAM

O Mater pietatis et misericordiæ, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator, ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam ut sicut dulcissimo Filio tuo in Cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus,

clementer assistere digneris, ut, tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summæ et individuæ Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Indulg. 100 *dier.* (*Leo XIII*, 17 *febr.* 1883).

ALTERA AD B. V. ORATIO

QUAM IPSA B. V. SANCTAM GERTRUDEM DOCUISSE LIB. IV, C. 90 LEGITUR.

1. Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem præparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

2. Humillima Virgo Maria, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum et Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiæ meæ.

3. Amabilissima Virgo Maria, deprecor te per amorem illum inestimabilem, qui te inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus præstetur mihi copia diversorum meritorum. Amen.

AD B. JOSEPH

O felicem virum beatum Joseph, cui datum est Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire!

℣. Ora pro nobis, beate Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

DEUS, qui dedisti nobis regale sacerdotium, præsta, quæsumus, ut sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare; ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia, tuis sanctis Altaribus deservire, ut sacrosantum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro sæculo præmium habere mereamur æternum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulg. 100 *dier.* (*Pius IX*, 4 *febr.* 1877).

AD OMNES ANGELOS ET SANCTOS

ANGELI, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes cœlorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctæ Dei, præsertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre, ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem meam totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ. Amen.

Indulg. 100 *dier.* (*Leo XIII*, 20 *dec.* 1884).

AD SANCTUM
CUJUS FESTUM CELEBRATUR

SANCTE N., ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus, offero nunc sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, pro tuo honore et gloria. Precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, ut tantum sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, ut eum, tecum et cum

omnibus electis ejus æternaliter laudare atque cum eo semper regnare valeam: Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. *Indulg.* 100 *dier.* (*Leo XIII*, 20 *dec.* 1884).

II. — POST MISSAM
AUT
SANCTAM COMMUNIONEM

MEMORIA PASSIONIS

OBSECRO te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit mihi virtus qua muniar, protegar atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio Sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Indulg. 3 *annorum Sacerdoti recitanti post Missam.* (*Pius IX*, 11 *decembris* 1846).

ORATIO

AD D. N. J. C. CRUCIFIXUM

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum, genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum pœnitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore, tua quinque vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor; illud præ oculis habens, quod jam in ore ponebat tuo David propheta de te, o bone Jesu : Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Indulg. plen. recitanti post communionem coram imagine Jesu Crucifixi; (Pius VII, 10 *april.* 1821) *dummodo addantur aliquæ preces pro Ecclesiæ necessitatibus. (Pius IX,* 31 *jul.* 1858.)

RENOVATIO PROFESSIONIS

EGO me sacratissimo Cordi tuo, Redemptor optime, summa qua possum et integra oblatione trado et dedico. Professionis meæ vota, quibus quasi tot clavis Cruci tuæ confixus sum in isto divino Corde, cœlo terraque testibus, renovo, tibi gratias agens qui ea mihi inspiraveris. Testor jugum sanctissimæ servitutis tuæ neque durum esse neque grave, meisque vinculis nihil inesse molesti, quibus utinam alia addantur, nodisque me constringant arctioribus.

Igitur, usque ad exitum meum, suavem hujus vocationis crucem amplector, in qua reponatur quidquid voluptatis, quidquid gloriæ, quidquid deliciarum quæram. Absit mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Absit mihi divitias appetere præter Jesu paupertatem, delicias præter Jesu labores, amorem præter ipsum Jesum. A te, o Salvator dulcissime, nunquam deficiam

sed te unum sequar, vitæ hujus perfectæ ad quam vocatus sum, angustissimis semitis minime deterritus, quia lux mea tu es et fortitudo.

Itaque confido te, Domine, mihi daturum esse, ut tentatione qualibet inconcussus, hostiumque insultibus major persistam, et dexteram tuam quæ tot beneficia mihi jam contulit, te ita extensurum ut in dies majora largiaris.

Te, Jesu bone, per sanguinem tuum, per vulnera tua, per sacratissimum Cor tuum enixe rogo facere velis ut, hac mei totius devotione, hodie novum tui amoris opus evadam. Amen. (*V. P. de la Colombière*).

COLLOQUIA CUM CHRISTO

NUNC dimittis servum tuum, Domine, in pace, quia viderunt oculi mei, et gustavit cor meum saluture tuum. Ecce enim ut intrasti sub tectum meum, salus domui huic facta est, et exultavit in gaudio anima mea in te Deo Jesu meo. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super

terram? Tu es gaudium meum, et thesaurus meus, et in te erit cor meum. O quam bonum mihi adhærere tibi! et discere a te humiliare me, abnegare sæcularia desideria, tollere crucem meam, et sequi vestigia tua!

O amantissime Jesu! tanquam sponsus procedens de thalamo suo sponsasti me tibi hodie : osculare ergo me osculo oris tui, indue me stola gratiæ, et da annulum amoris tui, ut omnis amator, præter te, videns hæc signa transeat : quia tu solus es dilectus meus mihi, et ego tibi.

Memor esto, Domine, verbi tui servo tuo,in quo mihi spem dedisti, cum dixisti: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Hoc unum est mihi necessarium, hoc petam, hoc requiram, ut inhabites in corde meo omnibus diebus vitæ meæ, ego in te vivam, in te quiescam, et a te nunquam separer. Mane mecum, Domine, quoniam advesperascit, ut non me peccatorum tenebræ comprehendant : Aperiantur oculi mei, ut te agnoscam, et fiat cor meum

ardens amore tui dum loquáris animæ meæ.

Teneo quem diligit anima mea, nec dimittam,nisi benedixerit mihi. O utinam accipiam benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari meo! ut sobrie, et juste, et pie vivam in hoc sæculo, ambulans de virtute in virtutem, donec videam te Deum Salvatorem meum, sicuti es, et vivis, ac regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Quis sum ego, amantissime Jesu, ut ad me venire, et mansionem facere dignatus sis? Unde hoc mihi ut Dominus meus, et Deus meus veneris ad me? Si cœli cœlorum te capere non possunt,quanto minus domus mea? Si Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quid in me invenisti, quod a throno gloriæ tuæ descendere fecit in abyssum miseriæ meæ? O magnum pietatis opus!

Vos omnes, qui timetis Deum, venite, videte, et narrabo quanta fecit Deus animæ meæ : venit ad servum Dominus, Sponsus ad infidelem sponsam, Pater ad

prodigum filium, ad creaturam Creator, ad nihilum omne Bonum, infinita Sanctitas et Majestas ad infinitam fœditatem et miseriam, Deus ad limum. O quam bonus Israel Deus!

Benedic anima mea Domino,et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus; jubilate ei omnis terra, laudate eum omnes Angeli ejus, psallite Domino omnes sancti ejus, omnes gentes plaudite manibus, magnificate Dominum mecum, quoniam magnificata est super me misericordia ejus; nam et ego puer sum, nescio loqui, nec verba habeo quæ, ut par est, misericordias Domini cantare, et superexaltare possint. Quæ laus? Quæ adoratio? quale obsequium meum retribuetur illi, qui solus est dignus accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem?

Sed tu, Domine miserator, clemens, et immensæ bonitatis, tu nosti figmentum meum, apud te stat omne desiderium meum et affectus meus a te non est

absconditus, tu scis quia amo te : Suscipe ergo animam meam, et corpus meum, et omnes vires, et affectus meos, quæ mihi donasti, et tua sunt, et ipsamet tibi reddo in holocaustum, ut sacrificium laudis meæ honorificet te in sæcula sæculorum. **Amen.**

PRECANDI FORMULA

B. P. CANISII

Exue me, Domine, veterem hominem, cum affectibus et inclinationibus malis, quibus me obnoxium esse nosti. Indue me novum hominem quem hæc sancta requirit vocatio, ut de die in diem renover, cum ardenti desiderio, constanti studio in solidis virtutibus, quæ mihi desunt, proficiendi. Ne permittas me, Domine, graviter et periculose tentari, præsertim circa vocationis gratiam. Da in adversis animi fortitudinem ad resistendum et vincendum. Concede perseverantiæ donum, ut usque ad mortem tibi fidelis existam. Auge in me gratiam promissa vota rite præstandi, ut paupertas

vere simplex, et angelica castitas in me vigeant, nec minus interior quam exterior obedientia me totum sibi vindicet, tibique gratum, assiduum et perfectum præbeat holocaustum. Amen.

Miserere Mei, Pater misericordiarum, quod in sæculo et religione, tuam sæpe offenderim Majestatem, tuis adhuc beneficiis ingratus, in cursu meæ vocationis tepidus, veri timoris et amoris expers, nec sollicitus, ut ad tuam gloriam et meam salutem sincere omnia conferam. Aperias mihi oculos, quæso, ut videam, et vires augeas ut possim, voluntatem simul impellas ut velim in via tua et vocatione mea progressus debitos facere, atque ad propositum mihi scopum recta contendere, nimirum mei ipsius et proximi salutem atque perfectionem semper impense procurando. Fiat in me et de me, ubicumque verser, et quidquid patiar, voluntas tua bona, beneplacens, et perfecta. Sanctificetur in me Nomen tuum sanctum, ut bonæ majorum meorum expectationi satisfaciam, ac particeps de-

mum fiam justorum omnium, cum in Ecclesia catholica, tum in Societate hac tibi placentium, imo et in cœlesti patria triumphantium. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Miserere nostrorum parentum, ac majorum omnium spiritualium. Fac, Domine, ut illi juxta Spiritum tuum sapiant, et prudenter subditos regant, nosque vere obedientes filios esse gaudeant.

Miserere amicorum et patronorum nobis, nostræque Societati tum in spiritualibus, tum in temporalibus rebus fideliter assistentium. Tuere eos ab omni malo, nec solum in vita,sed post mortem etiam, ut Te pro nobis munificum sentiant remuneratorem.

Miserere Societatis nostræ, quam plantavit Dextra tua, ut ipsa, sicut arbor fœcunda, magis magisque crescat in toto orbe terrarum, ac gratis tibi fructibus abundet semper in horto Ecclesiæ tuæ.

Miserere defunctorum sive fratrum et benefactorum, sive externorum et catholicorum omnium. Dona eis, Domine, in

tenebris lucem, in pœnis requiem, et in regno tuo beatitudinem sempiternam. Amen.

Miserere discipulorum, et filiorum spiritualium, quos ubique gentium Societati nostræ instruendos, gubernandos et adjuvandos tradidisti. Confirma in illis, Domine, bonum semen, ut in litteris, moribus atque virtutibus magis magisque proficiant, et a Nostris recte et feliciter curentur.

Miserere Patrum ac Fratrum in sua vocatione stantium, ut per te in recto virtutum cursu confirmentur. Miserere item nutantium atque claudicantium, ut potenti Spiritu tuo adjuti et consolidati, neque ad dexteram neque ad sinistram declinent.

Miserere quoque lapsorum, ut desertores filii ex apostasiæ statu resurgant, et priorem vocationis suæ gratiam agnoscant, tibique per veram pœnitentiam reconcilientur.

Miserere inimicorum, et aperte vel occulte nos ac Societatem nostram per-

sequentium. Non illis hoc imputes in peccatum, sed illis gratiam tuam, et resipiscentiam ac caritatem veram impertiaris. Per Jesum Christum...

Miserere schismaticorum, et hæreticorum, ut ad Ecclesiæ redeant unitatem, et relictis errorum umbris, catholicæ doctrinæ lucem nobiscum fideliter amplectantur.

Miserere peccatorum, qui mundo, carni, Satanæ potius quam tibi, Deo vero et vivo, serviunt, et ad perpetuæ mortis portas percurrunt. Converte illos, Domine, ad viam pœnitentiæ, et mortuis vitam gratiæ restitue, ne alioquin in peccatis suis morientes, a tua gratia et gloria perpetuo separentur. Amen.

AD B. V. MARIAM

O Maria, Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti, atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce cujus aspectu

lætabaris, et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repræsento, et offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum, sanctissimæque Trinitati in supremum latriæ cultum, pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te, piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Indulg.* 100 *dier.* (*Leo XIII*, 20 *dec.* 1884).

ALTERA AD B. M. V. ORATIO

O Beata Mater, quæ omnium prima de fontibus Salvatoris, quem novem mensibus in tuo utero portasti, aquas amoris et abnegationis summo cum gaudio hausisti, quæque ultimis horum fontium fluentis, militis lancea elicitis, summo cum mœrore respersa es, hos divinos fontes mihi aperi, qui Cor Jesu in meo

pectore nunc gesto et artem inde hauriendi doce me, ut in his laver et ex his bibam et ebrius fiam, et mei penitus obliviscar, et Dei gloriam, animarum salutem, peccati destructionem meamque exinanitionem ardentissime in posterum sitiam. Amen. *(P. Ramière).*

AD B. M. V. ORATIO

Ex "*MANUALI CHRISTIANI*"
QUOD B. P. CANISIUS CONSCRIPSERAT, DEPROMPTA, ET QUA IPSE UTI SOLEBAT.

COMMENDO me tibi, serenissima vereque inclyta Virgo Maria, cœli et terræ regina, quæ in tuo sacratissimo utero eumdem Dominum et omnium Creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu Sancto conceptum, digne portasti. Precor te, Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eumdem Filium tuum intercedas, ut quacumque ratione in summi sacramenti hujus sumptione deliqui, hujus negligentiæ et indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum filium etiam castior, pu-

rior et sanctior Deoque gratior evasisti. Utinam et me tam digni sacramenti sumptione ita sanctifices, ut cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tenear impollutum. Tu, concepto Filio de Spiritu Sancto magnificas laudes Domino late decantasti. O, si tuis efficacibus precibus id assequar, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione pia verser tantoque Redemptori et hospiti me nunquam ingratum sed fidum in omnibus ministrum ostendam. Amen.

AD ANGELOS ET SANCTOS

ANGELI sancti, ministri Dei altissimi, facientes verbum illius, aspicite primogenitum Patris æterni, quem introeuntem in orbem terrarum jussu Patris adorastis, et facite me in eo spiritu et veritate illi servire qua vos eidem in hac vita ministrastis, et nunc in cœlesti Patria servitis.

Omnes sancti et sanctæ Dei, consolatio

pauperculæ animæ meæ, vos præsertim patroni et protectores mei, aspicite magistrum, auctorem, et præmium sanctitatis vestræ, ac universam vestram felicitatem intra viscera mea manentem mihique ab ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositæ perfectionis, ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire. Amen.

III.—AD SS. TRINITATEM

ADORO te, sancta Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, Deus meus et omnia. Gratias tibi ago pro creatione, redemptione, sanctissimis Sacramentis, vocatione ad Societatem Jesu, et pro omnibus immensisque beneficiis mihi et toto mundo concessis. En, Domine mi, me totum, et quidquid intra me et extra me est, cogitationes, verba, opera hujus diei ac totius vitæ meæ, in sanctissimo

Filii tui sanguine involutum, in tui amorem et gloriam ac proximorum salutem, tibi offero ac dedico. Aufer a me quidquid tibi displicet, et da mihi quidquid tibi placet. Dirige et posside me jugiter, secundum beneplacitum tuum. Da, per viscera B. Mariæ Virginis, ut nunquam te offendam, sed semper faciam voluntatem tuam. Perfectionem in spiritu Societatis tribue, ut gaudium meum sit plenum. Perfunde me spirituali lætitia, ut te in omnibus et ubique inveniam, ac tandem ad te pervenire merear. Amen. (*B. Car. Spinulæ*)

ACTUS FIDUCIÆ IN DEUM

V. P. DE LA COLOMBIÈRE.

In te, Domine, sperantibus persuasum habeo te invigilare; a te omnia exspectanti nihil unquam defuturum adeo confido, ut deinceps vitam prorsus omni cura vacuam agere, et in te mearum omnium sollicitudinum onus deponere decreverim : *In pace in idipsum dormiam et requiescam quoniam tu, Domine, singulariter in*

spe constituisti me. Equidem, quamvis ab hominibus cum bonis tum fama spoliari, morbo debilitari et ad tuum famulatum effici impar, quin imo per peccatum gratia denudari possim, nunquam tamen mea spe destituar, quam ad extremum usque vitæ spiritum fovebo illæsam, et qua tum maxime at incassum me deturbare omnes maligni spiritus conabuntur : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Alii sive divitiis, sive egregiis animi dotibus felices vivere satagant; nitantur alii aut morum innocentia, aut pœnitentiæ acerbitate, aut eleemosynarum copia, aut orationum fervore : *Tu, Domine, singulariter in spe constituisti me;* mihi vero Domine omnis mea fiducia, fiducia mea ipsamet est; qua decipi unquam nemo visus est : *Nullus, nullus speravit in Domino et confusus est.*

Certissimus ergo sum ideo me perpetuo fore felicem quia illud firmissime spero atque idipsum a te, Domine, spero : *In te, Domine, speravi : non confundar in æternum.* Scio quidem, heu! fateri non

dubito, me fragilem esse atque mutabilem; contra viros vel maxime virtute conspicuos quid valeant tentationes novi; astra cœlestia firmamentique columnas ruere vidi : ast tot tantisque ruinis me minime sentio territum; nam, quamdiu sperabo, ab omni calamitate me tamdiu reputo tutum, nec dubito quin sim semper speraturus, cum ipsissimam hanc spem a tua liberalitate sperem inconcussam.

Denique persuasissimum habeo me in te nimiam spem reponere non posse et quidquid a te obtinere mihi contigerit, id omnia vota mea plane transcensurum esse. Igitur spero fore ut tu me in lubrico pronum retineas, tu me procellarum impetu vehementer quassatum erigas, tu me, quamvis imbellem, infensissimorum hostium meorum efficias victorem; spero fore ut tu mé amare non desinas, nec vicissim ego te amore prosequi desistam, atque ut una ad extremum spei culmen animum attollam, a temetipso temetipsum spero, creator mi, nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

IV. — AD JESUM

ADESTE FIDELES

Adeste, fideles, læti, triumphantes, venite in Bethleem. Natum videte Regem Angelorum. Venite, adoremus Dominum.

En, grege relicto, humiles ad cunas vocati pastores approperant : Et nos ovanti gradu festinemus. Venite...

Æterni parentis splendorem æternum, velatum sub carne, videbimus; Deum infantem, pannis involutum. Venite...

Pro nobis egenum et fœno cubantem piis foveamus amplexibus : Sic nos amantem quis non redamaret. Venite...

JESU, DULCIS MEMORIA

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia,
Sed super mel et omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,

Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.
Jesu, spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus!
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium,
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper sæcula. Amen.

LITANIÆ S. NOMINIS JESU

KYRIE, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, mis. nobis.
Spiritus Sancte, Deus, mis. nobis.

Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis æternæ,
Jesu, Rex gloriæ,
Jesu, sol justitiæ,
Jesu, Fili Mariæ Virginis,
Jesu, amabilis,
Jesu, admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, Pater futuri sæculi,
Jesu, magni consilii Angele,
Jesu, potentissime,
Jesu, patientissime,
Jesu, obedientissime,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitæ,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,

} miserere nobis.

Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone Pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia æterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, rex Patriarcharum,
Jesu, magister Apostolorum,
Jesu, doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,
Jesu, lumen Confessorum,
Jesu, puritas Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium, } miserere nobis.
Propitius esto, parce nobis, Jesu.
Propitius esto, exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium Stæ Incarnationis tuæ,
Per nativitatem tuam, } libera nos, Jesu.

Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per SS^mæ Eucharistiæ institutionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
} libera nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

OREMUS

DOMINE Jesu Christe, qui dixisti : Petite et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis : quæsumus, da

nobis petentibus, divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Indulg. 300 *dier. semel in die. (Leo XIII,* 16 *jan.* 1886.)

DOMINE JESU

DOMINE Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliud cupiam nisi te;
Oderim me et amem te.
Omnia agam propter te.
Humiliem me, exaltem te.
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me, et vivam in te.
Quæcumque evenient accipiam a te.
Persequar me, sequar te.
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te.

Ut merear defendi a te.
Timeam mihi, timeam te,
Et sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
Ad nihil afficiar nisi ad te,
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te,
Et in æternum fruar te. Amen.

Indulg. 50 *dier. semel in die.*
(*Leo XIII,* 25 *septemb.* 1883.)

ANIMA CHRISTI

ANIMA Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu, exaudi me,
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meæ voca me,

Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In sæcula sæculorum. Amen.

Indulg. 300 *dier. toties quoties recitatur corde contrito;* 7 *annor. post Communionem semel in die. Indulg. plen. semel in mense iis qui quotidie recitaverint, dummodo visitent aliquam Ecclesiam aut aliquod Oratorium publicum ibique orent juxta Summi Pontificis intentiones.* (*Pius IX,* 9 *januar.* 1854).

SUSCIPE, DOMINE

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es : id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. (*B. P. N. Ignatii*).

Indulg. 300 *dier. semel in die, omnibus fidelibus corde saltem contrito recitantibus.* (*Leo XIII,* 26 *maii* 1883).

O ÆTERNE

O Æterne Domine rerum omnium, ego facio meam oblationem cum tuo favore et auxilio, coram infinita bonitate tua, et in conspectu gloriosæ Matris tuæ, et omnium Sanctorum et Sanctarum curiæ cœlestis, attestans quod ego volo et desidero, et mea hæc est determinatio deliberata, imitari te in ferendis omnibus injuriis, et omni vituperio, et omni paupertate *(B. P. N. Ignatii)*.

DIGNARE, BENIGNISSIME JESU

DIGNARE, benignissime Jesu, per hoc sanctum Nomen tuum, esse mihi Jesus et dare mihi spiritum tuum, spiritum Societatis Jesu. Insere, quæso, cordi meo hoc amabile Nomen, ut ejus dulcedine pascar, ejusque amore ita ardeam ut moriar in te, Jesu mi dulcissime, Jesu mi suavissime, Jesu mi dilectissime, invocato semper hoc jucundissimo, hoc salutifero, hoc mellifluo Nomine tuo, Jesu, Jesu, Jesu. Amen. *(B. C. Spinulæ)*.

V. — AD SS. SACRAMENTUM

ORATIO

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari,ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas....

LAUDA SION

LAUDA, Sion, Salvatorem, lauda ducem et pastorem, in hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude : quia major omni laude, nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis, panis vivus et vitalis hodie proponitur.

Quem in sacræ mensa cœnæ, turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.

Dies enim solemnis agitur, in qua mensæ prima recolitur hujus institutio.

In hac mensa novi Regis, novum Pascha novæ legis, phase vetus terminat.

Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.

Quod in Cœna Christus gessit, faciendum hoc expressit in sui memoriam.

Docti sacris institutis, panem, vinum, in salutis consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, et vinum in Sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus, signis tantum et non rebus, latent res eximiæ.

Caro cibus, sanguis potus : manet tamen Christus totus sub utraque specie.

A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille : quantum isti, tantum ille : nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali : sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus.

Mors est malis, vita bonis : vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento, ne vacilles,

sed memento, tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura : qua nec status, nec statura signati minuitur.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum : vere panis filiorum, non mittendus canibus.

In figuris præsignatur : cum Isaac immolatur; Agnus Paschæ deputatur; datur manna patribus.

Bone Pastor, panis vere, Jesu, nostri miserere : tu nos pasce, nos tuere : tu nos bona fac videre in terra viventium.

Tu, qui cuncta scis et vales, qui nos pascis hic mortales : tuos ibi commensales, cohæredes, et sodales fac sanctorum civium. Amen.

ADORO TE

ADORO te devote, latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,

Quia te contemplans totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur;
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Nil hoc veritatis verbo verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas;
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor:
Deum tamen meum te confiteor;
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam præstans homini;
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat istud quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

PANGE LINGUA

PANGE, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit :
Ad firmandum cor sincerum

Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui :
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui :
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio :
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

SACRIS SOLEMNIIS

SACRIS solemniis juncta sint gaudia,
Et ex præcordiis sonent præconia :
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces et opera.
Noctis recolitur Cœna novissima,
Qua Christus creditur Agnum et Azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.
Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis,

Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus Corporis ferculum,
Dedit et tristibus Sanguinis poculum,
Dicens: Accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris; quibus sic congruit
Ut sumant et dent cæteris.

Panis Angelicus fit panis hominum;
Dat panis cœlicus figuris terminum:
O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper, servus et humilis.

Te, trina Deitas unaque, poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus:
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas.

Amen.

VERBUM SUPERNUM

VERBUM supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.

In mortem a discipulo

Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.
Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.
Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
O salutaris Hostia,
Quæ cœli pandis ostium:
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.
Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria:
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

AVE VERUM

Ave, verum, Corpus natum de Maria Virgine;

Vere passum, immolatum in cruce pro homine:

Cujus latus perforatum unda fluxit et sanguine,

Esto nobis prægustatum mortis in examine.

O Jesu dulcis! O Jesu pie! O Jesu, fili Mariæ.

ORATIO DEVOTISSIMA
S. THOMÆ

O Sanctissime Jesu, qui vere hic es Deus absconditus! concede mihi, quæso, quæ tibi sunt placita diligenter et ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere. Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me; quod a me requiris tribue ut sciam, et da exsequi ut oportet et expedit saluti animæ meæ. Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara sint mihi omnia tua, et tu Deus meus, plus quam omnia. Tædeat me gaudii quod est sine te, nec cupiam aliquid quod est extra te; delectet me omnis labor qui est pro te; et tædiosa sit mihi omnis quies quæ non est in te. Frequenter et ferventer da

mihi, o bone Jesu! cor meum ad te dirigere, omnia in caritate facere, quod ad cultum tuum non pertinet quasi mortuum reputare, actiones meas peragere non ex consuetudine, sed ad te referre cum devotione. Fac me, o Jesu! amor meus et vita mea, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine asperitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine præsumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, diligere sine simulatione, ipsumque ædificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi etiam, o dulcissime Jesu! cor pervigil, quod nulla abs te abducat curiosa agitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio; da rectum, quod nullum seorsum obliquet sinistra intentio. O Domine Jesu, fons bonorum omnium, largire mihi intellectum

te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter et fiducialiter exspectantem, fiduciam te feliciter amplectentem; tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, et gaudiis tuis in pace frui per gloriam. Amen.

ACTUS AMORIS

O Deus! ego amo Te,
Nec amo Te, ut salves me,
Aut quia non amantes Te
Æterno punis igne.
Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce;
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem; et hæc propter me
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem Te,
O Jesu amantissime?

Non ut in cœlo salves me,
Aut ne in æternum damnes,
Nec præmii ullius spe,
Sed sicut Tu amasti me,
Sic amo et amabo Te :
Solum quia Rex meus es,
Et solum quia Deus es. Amen.

VI. — AD SS. COR JESU

OFFICIUM (1)

AD MATUTINUM

℣. Domine, labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus, in adjutorium meum intende.
℟. Domine, ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri....
℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

1. A Leone XIII, die 26 febr. 1901, approbatum.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

Cœlestis aulæ gaudium,
Splendor paternæ gloriæ,
Carnem benignus induens,
Nobis fores ut hostia;

Jesu, voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui sacrarium.

Cor dulce, Cor amabile,
Amore nostri fervidum,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Jesu, Patris voluntati obsequentissimum, inclina ad Te corda nostra, ut quæ placita sunt Ei faciamus semper.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD LAUDES

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

Cor, digna sedes Numine,
Te sacra virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis,
Puro creavit sanguine.

Tu Trinitatis gloria,
In te Patris sunt gaudia,
Jungit Tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus.

Orbi salus Tu perdito,
Secura pax Fidelium,
Puris asylum mentibus,
Castis recessus cordibus.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Jesu, salutis nostræ sitientissimum, revoca nos prævaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

O Cor amoris victima,
Cœli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes unica;

Grandi reclusum vulnere,
Amor dedit Te pervium,
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.

Quos abluisti sanguine,
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

ANTIPHONA. O sacrum Cor Jesu, puritatis exemplar perfectissimum, fac nos corde mundo, ut secundum Te inveniri mereamur.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD TERTIAM

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur* : Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

O Cor amore saucium,
Amore corda saucia :
Vitale nectar Cœlitum,
Amore nos inebria.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum
Mirabili in convivio.

Quem proni adorant Angeli,
Sub mystico velamine,
Divinitatis temperans
Lumen, fit esca servulis.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

ANTIPHONA. O sacrum Cor Jesu, in hostes tuos mitissimum, exsultet pax tua in cordibus nostris, ut persequentibus et calumniantibus nos remittamus de cordibus nostris.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD SEXTAM

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

Cor, ara Cœlo celsior,
Terris marique latior,
Quas ante nos exceperis,
Deus repellit hostias;

Hic sacra virtutum cohors,
Custos comesque candidæ
Fidelis innocentiæ,
In sede regnat propria.

Hoc jura, quæ mundum regant,
Volvuntur alto pectore;
Hoc fonte, quæ mentes beent,
Manant fluenta gratiæ.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Jesu, pro peccatis nostris afflictissimum, da nobis cor contritum et humiliatum, ut dignos pœnitentiæ fructus faciamus.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD NONAM

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur* : Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

Cor sole puro purius,
Templumque Cœlo dignius,
Verbi Dei sacrarium,
Opum Dei compendium.

Ex Te quot actus prodeunt,
Tot digna Patre munera;
Quot vota fundis, tot Pater
Justis rependit præmiis.

Vindex reis irascitur
Deus, sed ut Te respicit,
Placatus iras abjicit
Et fulmen obliviscitur.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Antiphona. O sacrum Cor Jesu, paupertatis amantissimum, pone nos ut signaculum super Te, ut in Te, unico thesauro nostro, totum sit cor nostrum.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD VESPERAS

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

O Cor, Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.

Nidus gementis turturis,
Gratum columbis pabulum,
Hortus refulgens floribus,
Sponsæ quies et lectulus.

Hic casta spirant lilia,
Quibus nitescunt Virgines,
Hic, unde splendent Martyres,
Rosæ rubescit purpura.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

ANTIPHONA. O sacrum Cor Jesu, diligentibus Te beneficentissimum, deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis amor cordis nostri et pars nostra in æternum.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

AD COMPLETORIUM

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri,

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

HYMNUS

Cor matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu,
Indesinente anhelitu,
Suspirat oblitum sui.

Utrumque amoris vinculo
Nexu perenni jungitur :
Hoc ardet hujus ignibus
Ignemque reddit æmulum.

Cor Jesu, o melle dulcius,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.
Amen.

Antiphona. O victima caritatis, Cor amantissimum Jesu, pro peccatis nostris immolatum, ab ingratis hominibus neglectum et afflictum, converte nos, vivifica nos, accende nos.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

OREMUS

DOMINE Jesu, qui ineffabiles Cordis tui dulcedines ac divitias Ecclesiæ, Sponsæ tuæ, singulari dilectione aperire dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut gratiis cœlestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus ditari et recreari mereamur : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

LITANIÆ

KYRIE, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus,
Fili, Redemptor mundi, Deus,
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Cor Jesu, Filii Patris æterni,
Cor Jesu in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum,

} miserere nobis.

Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu, Majestatis infinitæ,
Cor Jesu, Templum Dei sanctum,
Cor Jesu, Tabernaculum Altissimi,
Cor Jesu, Domus Dei et porta cœli,
Cor Jesu, fornax ardens caritatis,
Cor Jesu, justitiæ et amoris receptaculum,
Cor Jesu, bonitate et amore plenum,
Cor Jesu, virtutum omnium abyssus,
Cor Jesu, omni laude dignissimum,
Cor Jesu, rex et centrum omnium cordium,
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ,
Cor Jesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis,
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complacuit,
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, desiderium collium æternorum,
Cor Jesu, patiens et multæ misericordiæ,

miserere nobis.

Cor Jesu, dives in omnes qui invocant Te,
Cor Jesu, fons vitæ et sanctitatis,
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, saturatum opprobriis,
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, fons totius consolationis,
Cor Jesu, vita et resurrectio nostra,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, victima peccatorum,
Cor Jesu, salus in Te sperantium,
Cor Jesu, spes in Te morientium,
Cor Jesu, deliciæ Sanctorum omnium,

miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Jesu, mitis et humilis corde,

℟. Fac cor nostrum secundum cor tuum.

OREMUS

OMNIPOTENS sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui et in laudes et satisfactiones quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus tu veniam concede placatus in nomine ejusdem Filii tui Jesu Christi qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIONES

EX MISSA SS. CORDIS JESU

CONCEDE, quæsumus omnipotens Deus: ut, qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, præcipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus; eorum pariter et actu delectemur, et fructu. Per eumdem Dominum...

TUERE nos, Domine, tua tibi holocausta offerentes : ad quæ, ut ferventius cor-

da nostra præparentur, flammis adure tuæ divinæ caritatis : Qui vivis...

PACIFICIS pasti deliciis, et salutaribus sacramentis, te supplices exoramus, Domine Deus noster : ut qui mitis es, et humilis corde, nos a vitiorum labe purgatos, propensius facias a superbis sæculi vanitatibus abhorrere : Qui vivis et regnas...

—

EX MISSA B. MARGARITÆ MARIÆ

DOMINE Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui beatæ Margaritæ virgini mirabiliter revelasti : da nobis, ejus meritis et imitatione; ut te in omnibus, et super omnia diligentes, jugem in eodem corde tuo mansionem habere mereamur : Qui vivis et regnas...

ACCEPTA tibi sint, Domine, plebis tuæ munera : et concede; ut ignis ille divinus nos inflammet, quo de corde Filii tui emisso beata Margarita vehementer æstuavit. Per eumdem Dominum...

CORPORIS et sanguinis tui, Domine Jesu, sumptis mysteriis : concede nobis,

quæsumus, beata Margarita Virgine intercedente; ut superbis sæculi vanitatibus exutis, mansuetudinem et humilitatem cordis tui induere mereamur : Qui vivis...

COR, ARCA

Cor, arca legem continens,
Non servitutis veteris,
Sed gratiæ, sed veniæ,
Sed et misericordiæ.

Cor, Sanctuarium novi
Intemeratum fœderis,
Templum vetusto sanctius,
Velumque scisso utilius.

Te vulneratum Caritas
Ictu patenti voluit,
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.

Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus Sacerdos obtulit.

Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat?

Et Corde in isto seligat
Æterna tabernacula?
Decus Parenti et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum.
Amen.

SALUTATIO MATUTINA

AMANTISSIME Jesu, hoc primum hujus diei suspirium, de fundo cordis mei haustum mitto ad Te, ex omnibus viribus meis rogans, ut hac die omnes corporis et animæ meæ actiones per Temetipsum in me operari, easdemque in Corde tuo dulcissimo emendatas, una cum perfectissimis operibus tuis Deo Patri in laudem æternam offerre digneris. Amen. (*S. Mechtildis*).

COMMENDATIO VESPERTINA

O Cor Jesu dulcissimum, Tibi commendo hac nocte cor et corpus meum, ut in Te dulciter requiescant. Et quoniam ego jam obdormiturus Deum laudare ne-

queo, Tu illud pro me supplere digneris; ita ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes SS. Trinitati pro me persolvas; omnemque halitum, quem spiravero, in Te susceptum, eidem tanquam vivas amoris scintillas offerre velis. Amen. *(S. Mechtildis).*

OBLATIO SUI

Ego trado et dedico sanctissimo Cordi Domini nostri Jesu Christi, me, vitam meam, actiones, incommoda, molestias meas, ut abhinc totus consumar ad ejus amorem et honorem. Firmissimum hoc meum est decretum, ut nullius sim nisi hujus divini Cordis, ut omnia ex illius amore agam, et ex toto animo renuntiem omnibus, quæ ei possunt displicere.

Quare, eligo te, o sanctissimum Cor, unicum meum amorem, præsidium et tutelam vitæ meæ, fortitudinem debilitatis meæ, et compensationem omnium, quæ unquam commisi, peccatorum.

O Cor clementiæ plenum et bonitatis, esto mihi, quæso, totum in hora mortis

refugium. Tu me coram Deo defendas, et pœnam quam iratus judex edicet, a me avertas. O Cor amoris, in te solum confido; nam, etsi omnia a peccatis meis mihi sint timenda, tamen a bonitate tua omnia sperare audeo. Quare dele in me omnia, quæ tibi displicere possunt : ita sincerus amor tuus cor meum possideat, ut nunquam tui oblivisci vel a te recedere possim. Divinum Cor, obsecro te, per bonitatem tuam infinitam, nunquam ex servorum tuorum numero delear, quoniam in tuo famulatu vivere volo et mori. *(B. Marg. Mariæ Alacoque).*

UNIVERSÆ SOCIETATIS JESU CONSECRATIO

O Jesu, Redemptor amantissime, ecce nos coram te mœrentes et afflicti : verum memores illius tuæ vocis : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos; » ad te ducimur tum dolore ob tot mala quorum testes sumus, tum desiderio eadem resarciendi, tum grato animo propter tot beneficia

quæ a tuo suavissimo corde accepta profitemur. Ex hoc gratiarum fonte haustum præcipue novimus peculiare illud donum, quo in tuam hanc Societatem vocati sumus, et quidquid boni quod sive nos per eam accepimus, sive ipsa a sua in hunc diem origine operata est.

Cupientes itaque omnia ad propriam originem redire, nos, quamvis indigni, ut tui socii vocemur, coram Sanctissima Virgine Maria, Beatissimo Patriarcha Sancto Joseph, Sancto Parente Nostro Ignatio, totaque cœlesti Curia, offerimus et devovemus tuo adorabili Cordi nos totos, nostraque omnia, ministeria nostra, labores et dolores; volumusque eorumdem factam, integram et perpetuam devotionem, ut injurias et offensiones reparemus quæ contra divinam tuam Majestatem committuntur, et ad promovendam in nobis et in cæteris tuam majorem gloriam. Itaque hæc Societas, quæ tuo sanctissimo Nomine insigniri gloriatur, beata quoque erit quod tuo divino Cordi sit dicata, et tua vita vivat. Velis

igitur, supplices precamur, hujusmodi holocaustum benignus acceptare, nobisque gratiam conferre, qua semper fideles simus in omnium Regularum observatione et Constitutionum Instituti Nostri. Tu nosti, Jesu amabilissime, quanta rabie Satan contendit Ecclesiam tuam opprimere, et nostram Societatem dissolvere : miserere nostri, filiorum tuorum, qui in te totam nostram fiduciam collocamus. Sit, oh! Cor tuum nobis clypeo contra omnes inimici ictus, novoque gratiæ finalis pignori : quo liceat, postquam in tuo Corde constanter vixerimus, in eodem animam ipsam nostram efflare. Amen.

CONSECRATIO R. P. ROOTHAAN

Dulcissime Jesu, fons amoris, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles Cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es, ego, in gratiarum actionem pro innumeris in me cæterosque homines collatis

beneficiis, ac præsertim pro sanctissimæ Eucharistiæ institutione, et ad reparandas injurias omnes a me et aliis quibuscumque, in hoc infiniti amoris mysterio, Cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo Cordi me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens me divini Cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper Beatissimam Virginem Mariam in peculiarem Matrem mihi eligo, hujusque purissimo Cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens me hujus piissimæ Matris cultum, juxta Ecclesiæ mentem, et speciatim ejus Immaculatæ Conceptionis, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter ut hoc propositum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

CONSECRATIO SS. CORDI JESU

R. P. DE PONLEVOY

En ante conspectum tuum, o misericordissimum Cor Jesu, ego, Societatis tuæ filius, licet undequaque servus inutilis et indignus, quem inter amicos et commilitones tuos admittere digneris, fretus tamen pietate ac mansuetudine tua infinita, et vehementissima quidem frementis undique mundi pressura, quasi necessitate compulsus, vehementiori tamen amore ac tibi unice placendi desiderio, coram Immaculata Virgine Matre Maria, et intercedentibus cum ea, tum dilecto Patre meo Beato Ignatio, tum beata virgine ac sponsa tua Margarita Maria, nec non curia tua cœlesti universa, tibi me hodie, nova quadam pleniori quantum in me est, oblatione ac donatione mancipo, consecro, et profiteor hanc deliberatam esse meam voluntatem, hoc firmissimum decretum, ut indissolubili vinculo tibi propius inhærens, te cogitare, te amare, laborare tecum, ac pro te pati, donec in te et pro

te moriar, quantum per te licuerit, perpetuo connitar.

Eia ergo, Dux et Frater meus amantissime, Deus omnipotens et supreme Rex universorum, Domine Jesu, qui non solum Societati tuæ gloriosum nomen tuum commune esse voluisti, sed et benedictam crucem tuam ceu proprium nobis ac perpetuum caritatis donum promisisti, imo et Cor tuum excellentiori quadam participatione nobis largitus es, ut præ cæteris ipsum contemplantes et amantes, ad ejusdem intimam cognitionem et amorem corda omnium provocemus et rapiamus; te supplex hodie deprecor, fac ut cor meum non jam meum, sed tuum sit; fac ut mihi non amplius jam vivam in æternum, sed tibi uni qui mea sola vita es; fac ut, qui socius Jesu nominari et esse, te largiente, volui, perpetuam in Corde tuo mansionem habens et quæ tibi placita sint in posterum unice spirans, dignus esse valeam quem divini Cordis tui servum, discipulum, et apostolum coram Patre tuo profitearis.

Sume igitur et suscipe, o bone Jesu,

cor meum; neque a te illum abscedere tantisper ac separari permittas, qui tibi se totum pleno cordis affectu mancipaverit. Accipe me ad teipsum, absconde me in Corde tuo. Neque enim præter te alius est in quo spem et perfugium, alacritatem et robur, gaudium et pacem reperire valeam, per quem et in quo unice Divinæ Majestati complacitum est, cui amor, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

APPENDIX

Decretum 46 Congregationis gen. 23.

TANQUAM felix ac fausta conclusio laborum, offertur Congregationi postulatum, ad cultum SS. Cordium Jesu et Mariæ inter nos augendum et promovendum.

Lecto Patrum deputatorum judicio, omnes Patres assurgentes unaque voce acclamantes, probaverunt quæ sequuntur :

1. " Declarandum esse, Societatem Jesu lubentissimo ac gratissimo animo munus suavissimum acceptare et suscipere a Domino nostro Jesu Christo ipsi commissum, devotionis erga divinissimum Cor suum colendæ, fovendæ ac propagandæ.

2. Statuendum esse, ut dies festus SS. Cordis

Jesu inter solemniores in Societate habeatur, et quotannis majori qua fieri possit pompa celebretur, renovata eadem die in singulis domibus oratione abhinc paucis annis ab Adm. R. Patre præscripta, qua Societas se totam SS. Cordi devovit et sacravit.

3. Statuendum ut Societas, quemadmodum solemniter SS. Cordi Jesu se totam devovit ac sacravit, sic etiam solemniter se totam devoveat ac sacret SS. Cordi B. Mariæ Virginis, quam semper ut dulcissimam matrem coluit, colit ac colet.„

—

Cor Domini Nostri et Societas Jesu.

" Optimus P. de la Colombière, ut sacra Societas Jesu ornaretur donis ac privilegiis omnibus, cultus divini Cordis Jesu propriis, a Domino nostro Jesu Christo impetravit. Qui eidem Societati promisit se abunde atque omnino prodige benedicturum esse operibus caritatis, quibus ad hominum salutem Patres suæ Societatis vacarent. Divinum Cor tanto mihi videtur desiderio consumi, ut cognoscatur, ametur, adoretur imprimis ab illis Patribus, ut, nisi fallor, polliceatur, *se velle verba eorum tanta et ardentissimi amoris suavitate et fortissimæ gratiæ virtute implere, ut fiant quasi gladii ancipites, qui vel durissimum obstinatissimi cujusque peccatoris animum perfringant, eliciantque sacram illam pœnitentiæ undam, quæ purget animum et sanctificet.* Quod ut assequantur necesse est eis omne lumen inde

quærere, ubi est perennis fons omnis scientiæ et caritatis sanctorum. Plurima hac de re dicere possunt; sunt enim in hac Societate amici conjunctissimi, imo vero deliciæ sacratissimi Cordis divini nostri Magistri. „

" Oro et obtestor te, Reverende Pater, *(P. de la Colombière, vel P. Rolin)* ne quid prætermiseris ad hanc religionem omnibus inspirandam. Jesus Christus enim tam clare, ut dubitare non liceat, mihi ostendit, *se per Patres Societatis Jesu præter cæteros hanc solidam devotionem, passim velle constituere,* qua conciliaturus est sibi servorum fidelium multitudinem prorsus infinitam, amicos vere fideles, filios quam gratissimos. „

" Tu quoque, fidelis serve divini Filii mei, magnopere pretiosissimi hujus thesauri particeps eris. Ut enim Virginibus sacri Ordinis Visitationis datum est ut, eum in medium proferant, ament, cum aliis communicent, *ita Patribus tuæ Societatis reservatum est, ut quantæ sit utilitatis quantique effectus, hominibus enarrent atque demonstrent;* sic enim fieri poterit, ut omnes hoc inæstimabile donum eo, quo decet, pio gratoque animo recipientes magnam inde hauriant utilitatem. Quod officium quo perfectius divino Cordi præstiterint, eo abundantius fecundus ille fons beneficiorum et gratiarum undis irrigabit sacra eorum ministeria, *ut fructus ex illis colligant non solum labore atque ipsa spe multo majores, sed etiam saluti et perfectioni uniuscujusque ipsorum perutiles.* „

(Verba B. M. Virginis ad P. de la Colombière, ex scriptis B. Marg. Mariæ) :

" Divinum Cor Jesu Christi, ut primum se cum Virginibus Visitationis communicavit, *ita cupit et desiderat, ut Patres Societatis Jesu, quanta sit dignitate hic cultus quantaque utilitate, enuntient; hoc enim illis est reservatum.* „

" Per hanc denique devotionem erga divinum Cor, *Dominus quam abundantissime effundet in Ordinem Visitationis B. M. Virginis et Societatem Jesu divinos gratiarum et misericordiarum thesauros,* dummodo ei reddant id quod ab ipsis exspectat, dummodo id ament, honorent, prædicent, et, quantum fieri possit, laborent ut regem omnium cordium constituant. Multum hac in re a tua Societate postulat altaque fovet consilia. „

(Ex variis epistolis B. Marg. Mariæ)

—

Promissa Cordis Jesu cultoribus

1. " Hac amabili devotione, omnia statui ipsorum necessaria auxilia reperient :

2. " Pacem familiarum,

3. " Levamentum laborum, solatium in rebus adversis tolerandis,

4. " Subsidia cœlestia in omnibus negotiis gerendis;

5. " Nec unquam melius quam in hoc sacro Corde refugium invenient, tam in omni vita quam in ipso vitæ exitu. „

6. " Avertet ab iis divinæ justitiæ iram, ut pos-

sint recipi in gratiam, si quando eam amiserint „

7. " Homines religiosi non indigebunt alio adjumento ad renovandum primum suum fervorem, ad revocandum accuratissimam legum suarum observationem in iis communitatibus in quibus antea omnino fuerit dilapsa,

8. " Et ad eas, in quibus jam antea optime observatæ sint, promovendas in culmen omnis perfectionis. „

9. " Ipse, ut est fons omnium benedictionum, large eas effundet in omnem locum, quocumque collocata erit atque honorabitur divini sui Cordis imago. „

10. " Divinus meus Salvator edocuit me, eos qui saluti animarum procurandæ operam darent, artem esse adepturos vincendi animos obstinatissimos et admirabiles laborum suorum fructus esse percepturos. „

11. " Magna præmia in omnibus promisit, qui prompte libenterque omnibus viribus pro lumine et subsidio acceptis se huic rei impendissent. „

12. " Infinita misericordia motus, inquit ipse Christus, polliceor Cordis mei amorem omnipotentem omnibus, qui, prima quaque novem deinceps mensium feria VI, ad sacram Corporis mei Communionem accesserint, concessurum esse gratiam felicis perseverantiæ, eos non morituros nisi reconciliatos cum hoc divino Corde, ac receptis Sacramentis morientium, quia divinum meum Cor tutum in perfugium erit e vita discedentibus. „ *(Ex variis epistolis B. Marg. Mariæ).*

VII.—AD SPIRITUM SANCTUM

VENI CREATOR

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In sæculorum sæcula. Amen.

VENI, SANCTE SPIRITUS

VENI, sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium.

Veni, Pater pauperum; veni, dator munerum; veni, lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.

Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

Indulg. plen. semel in mense recitanti singulis diebus; 300. *dier. die Pentecostes et per totam octavam, addita oratione juxta SS. Pont. intentionem;* 100 *dier. toties quoties addita oratione ut supra. (Pius VI.* 26 *Maii* 1796).

VIII. — AD B. V. MARIAM

OFFICIUM PARVUM
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. M. V.[1]

AD MATUTINUM

℣. Eia, mea labia, nunc annuntiate,

℟. Laudes et præconia Virginis beatæ.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

℣. Gloria Patri...

℟. Sicut erat... Alleluia! *A Septuagesi-*

(1) Officii hujus de immaculata conceptione recitationem admodum placere beatæ Virgini devoto suo famulo Alphonso Roderico e societate Jesu ipsa revelavit. *Ita P. Eusebius Nierembergius in ejus vita.*

Indulg. 300 *dier. toties quoties.* (*Pius IX* 31 *mart.* 1876).

ma usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur* :
Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS

SALVE mundi, Domina,
Cœlorum Regina;
Salve, Virgo virginum,
Stella matutina.

Salve, plena gratia,
Clara luce divina.
Mundi in auxilium,
Domina, festina.

Ab æterno Dominus
Te præordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit

Terram, pontum, æthera.
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, quæ in
Adam non peccavit. Amen.

℣. Elegit eam Deus et præelegit eam.
℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

℣. Domina, protege orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS

SANCTA Maria, Regina cœlorum, Mater Domini nostri Jesu Christi et mundi Domina, quæ nullum derelinquis et nullum despicis; respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum; ut qui nunc tuam sanctam et immaculatam Conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, in unitate perfecta, Deus in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domina, protege orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam
Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

AD PRIMAM

℣. Domina, in adjutorium, etc. *ut supra.*

HYMNUS

SALVE, Virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columna septemplici
Mensaque exornata;

Ab omni contagio
Mundi præservata,
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.

Tu mater viventium
Et porta es Sanctorum,
Nova stella Jacob,
Domina Angelorum.

Zabulo terribilis,
Acies castrorum :
Portus et refugium
Sis Christianorum. Amen.

℣. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.
℟. Et effudit illam super omnia opera sua.
℣. Domina, protege, etc., *cum Oratione ut supra.*

AD TERTIAM

℣. Domina, in adjutorium, etc.

HYMNUS

SALVE arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis,
Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe matris Evæ,
Almam quam elegerat
Genitricem vere
Nulli prorsus sinens
Culpæ subjacere. Amen.

℣. Ego in altissimis habito,
℟. Et thronus meus in columna nubis.
℣. Domina, protege, etc., *cum Oratione ut supra.*

AD SEXTAM

℣. Domina, in adjutorium, etc.

HYMNUS

SALVE, Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis,
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis,
Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpæ originalis.
Civitas Altissimi,
Porta orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo singularis. Amen.

℣. Sicut lilium inter spinas,
℟. Sic amica mea inter filias Adæ.
℣. Domina, protege, etc., *cum Oratione ut supra.*

AD NONAM

℣. Domina, in adjutorium, etc.

HYMNUS

SALVE, urbs refugii,
Turrisque munita,
David propugnaculis
Armisque insignita.

In conceptione
Caritate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.

O mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abisag virgo,
Verum fovens David!

Rachel curatorem
Ægypti gestavit,
Salvatorem mundi
Maria portavit. Amen.

℣. Tota pulchra es, amica mea,

℟. Et macula originalis nunquam fuit in te.

℣. Domina, protege, etc., *cum Oratione ut supra.*

AD VESPERAS

℣. Domina, in adjutorium, etc.

HYMNUS

SALVE, horologium,
Quo retrogradatur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.
Solis hujus radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.
Lilium inter spinas,
Quæ serpentis conterat
Caput; pulchra ut luna
Errantes collustrat. Amen.

℣. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens,

℟. Et quasi nebula texi omnem terram.

℣. Domina, protege, etc., *cum Oratione ut supra.*

AD COMPLETORIUM

℣. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus,
℟. Et avertat iram suam a nobis.
℣. Domina, in adjutorium, etc.

HYMNUS

SALVE, Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata;
Supra omnes Angelos
Pura, immaculata
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.
Per te, Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum,
Patens cœli janua,
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

℣. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.

℟. Servi tui dilexerunt te nimis.

℣. Domina, protege, etc., *cum Oratione ut supra.*

RECOMMENDATIO

Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Hæc laudum præconia:
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria. Amen.

℟. Deo gratias.

ANTIPHONA ET ORATIO
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. M. V.

Hæc est virga in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. In conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti.

℟. Ora pro nobis Patrem cujus Filium peperisti.

ORATIO

DEUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti; quæsumus, ut qui, ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Christum Dominum nostrum. R). Amen.

Indulg. 100 *dier. toties quoties* (*Pius IX,* 31 *mart.* 1876).

AVE MARIS STELLA

Vide infra post litanias sanctorum.

Indulg. 300 *dier. semel in die* (*Leo XIII,* 27 *jan.* 1888).

STABAT MATER

STABAT Mater dolorosa
Juxta Crucem lacrymosa
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem

Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mœrebat et dolebat,
Pia Mater dum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eia Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara :
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari,
Et cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.
Christe cum sit hinc exire,

Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

MEMORARE

MEMORARE, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a sæculo quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum; ego tali animatus confidentia, ad te, Virgo Virginum, Mater, curro, ad te venio; coram te, gemens peccator assisto : noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen. *(S. Bernardi).* — *Indulg.* 300 *dier. toties quoties; plenar. semel in mense recitanti singulis diebus. (Pius IX,* 11 *dec.* 1846).

O DOMINA MEA

O Domina mea, Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem

custodiam, et in sinum misericordiæ tuæ, hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen. *(S. Aloys. Gonzagæ).*

Indulg. 200 *dier. semel in die. (Leo XIII,* 15 *mart.* 1890).

ORATIO EFFICAX

O Domina mea! o Mater mea! tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum : quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

ASPIRATIO IN QUAVIS TENTATIONE

O Domina mea! o Mater mea! memento me esse tuum; serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam. *(P. Zucchi).*

Indulg. 100 *dier. semel in die recitantibus mane et vespere post salutationem angelicam. Iisdem plenar. semel in mense. Indulg.* 40 *dier. recitantibus aspirationem solam in quavis tentatione. (Pius IX,* 5 *aug.* 1851).

FORMULA CONSECRATIONIS
SODALIUM B. M. V.

SANCTA Maria, Mater Dei et Virgo, ego N.., te hodie in Dominam, patronam et advocatam eligo, firmiterque statuo ac propono me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum aut facturum, neque permissurum ut a meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum; adsis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis. Amen.

AD MATREM CHRISTI B. M. V.

CORDI, quæsumus, tibi sit, Maria Virgo, Dei Mater optima, universi ordinis nostri famulatus; fratribus nostris impetra cor secundum cor Dei Jesu Filii tui dilectissimi; et qui se ad societatem ejus vocatos esse lætantur, fac ut ejusdem filii tui nomen coram gentibus et populis portando, suæ vocationis implendæ gratiam, opemque sibi ab ipso, te intercedente, sentiant adesse perpetuam. Amen.

IX. — AD PURISSIMUM COR MARIÆ

CONSECRATIO SOC. JESU

O Virgo sanctissima, Jesu Mater, et Mater nostra, ad pedes tuos suppliciter provoluti, jungentesque voces nostras intimis ex animis depromptas, cum sanctorum Angelorum Beatorumque omnium tibi in paradiso canentium choris, tibi cultus, tibi laudis et gloriæ debitos per-

solvimus honores. Tibi, grati animi flagrantissimæque caritatis sensu,pro collatis in nos beneficiis, gratias quam possumus maximas referimus. Suum tibi Societas debet ortum, tibi incrementum, et quidquid in divini Filii tui gloriam contulit, quidquid gessit in animarum salutem, te adjuvante, peregit. Nos etiam, quibus ejusdem Societatis filios esse sorte obtigit beatissima, id tantum boni a tua erga nos liberali dilectione profectum agnoscimus.

Ergo tua est, o Mater sanctissima, tota tua est omni jure Societas : idque sibi summum gaudium gloriamque maximam ducit : id etiam hoc faustissimo die ritu solemni profitetur. Teste igitur Filio tuo, vindice atque duce nostro, teste sponso tuo sanctissimo Joseph patrono nostro, testibus S. Ignatio Patre Nostro, cunctisque Cœlestibus, Societas universa tibi tuoque suavissimo Cordi se totàm in sempiternum dedicat, sacrat, devovet.

Dignare, o cœli terræque Regina clementissima, de cœlesti tua sede in tuam

Societatem oculos propitia convertere, et suave hoc holocaustum, o bona, suscipere. Hanc tu minimam Societatem, dulcissima Virgo, potenti tua dextera, in cœptis operibus adjuva, in laboribus robora, ab hostibus defende, in ægritudinibus solare; et perfice, ut quicumque illius, quamvis immeriti, filii sumus, posteaquam in tuo, ac Jesu Filii tui Corde vitam egerimus, vitam in eisdem finiemus, atque exinde in cœlestem patriam suscipiamur. (5 *dec.* 1884).

X. — AD SANCTOS ANGELOS

ORATIO

Deus, qui ineffabili providentia Sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris : largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et æterna societate gaudere. Per Dominum...

CHRISTE, SANCTORUM

CHRISTE, sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator et Redemptor,
Cœlitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michael in ædes
Cœlitus nostras veniat, serenæ
Auctor ut pacis lacrymosa in orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amica cœlo,
Quæ triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Angelus nostræ medicus salutis,
Adsit e cœlo Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, dubiosque vitæ
Dirigat actus.

Virgo, dux pacis, genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia cœli.

Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

ANGELE DEI

ANGELE Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna.

Indulg. 100 *dier. toties quoties : plenaria semel in mense et in art. mortis, quotidie recitantibus. (Pius VI, Pius VII).*

XI. — AD S. JOSEPH

OFFICIUM PARVUM

AD MATUTINUM

Jesus, Maria, Joseph sint benedicti in æternum.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri....

Sicut erat... Alleluia. *A Septuagesima*

usque ad Pascha, loco Alleluia, *dicitur* : Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS

JOSEPH stirpe regia,
De Davide natus;
Virgini Deiparæ
Sancte desponsatus.
Jesu Christi Domini
Pater nuncupatus,
Custos Matri cœlitus,
Filioque datus.

ANTIPHONA. Salve Patriarcharum decus, Ecclesiæ sanctæ lumen, sancte Joseph, fidelis et prudens serve, quem constituit Dominus super Familiam suam, super Filium et Matrem Dei, Jesum et Mariam.

℣. Ora pro nobis, sancte Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non

obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM

Jesus, Maria, Joseph sint benedicti in æternum.

℣. Deus in adjutorium, etc. *ut supra.*

℟. Domine ad adjuvandum...

Gloria Patri, etc.

HYMNUS

Cum prægnantem Conjugem
Anxius videres,
Et an illam deseras,
Dubius hæreres,
Angelus te monuit
Nihil ut timeres,
Gravidamque cœlitus
Sponsam retineres.

Antiph. Salve Patriarcharum, etc., *ut supra.*

℣. Ora pro nobis, etc.

Oremus. Sanctissimæ Genitricis, etc.

AD TERTIAM

Jesus, Maria, Joseph sint benedicti in æternum.

℣. Deus in adjutorium, etc. *ut supra.*

℟. Domine ad adjuvandum...

Gloria Patri, etc.

HYMNUS

IVERAS in Bethlehem,
Censum soluturus,
Cum prægnante Virgine;
Ubi nasciturus
Verus Dei Filius,
Quem adoraturus
Eras in præsepio,
Et amplexaturus.

ANTIPH. Salve Patriarcharum, etc., *ut supra.*

℣. Ora pro nobis...

OREMUS. Sanctissimæ Genitricis...

AD SEXTAM

Jesus, Maria, Joseph sint benedicti in æternum.

℣. Deus in adjutorium, etc. *ut supra.*
℟. Domine ad adjuvandum...
Gloria Patri, etc.

HYMNUS

Cum Herodes impius
Parvulos necaret,
Tibi cœli nuntius
In somnis apparet,
Monens ut cum Puero,
Mater quem lactaret,
In Ægyptum fugias,
Dum te revocaret.

ANTIPH. Salve Patriarcharum, etc.
℣. Ora pro nobis....
OREMUS. Sanctissimæ Genitricis...

AD NONAM

Jesus, Maria, Joseph sint benedicti in æternum.
℣. Deus in adjutorium, etc. *ut supra.*
℟. Domine ad adjuvandum...
Gloria Patri, etc.

HYMNUS

HOSTIBUS demortuis,
Inde recessisti :
Revocante angelo,
Lætus rediisti;
Matrem atque Filium
Tecum reduxisti;
Cum illis in Nazareth
Humilis vixisti.

ANTIPH. Salve Patriarcharum, etc.
℣. Ora pro nobis...
OREMUS. Sanctissimæ Genitricis...

AD VESPERAS

Jesus, Maria, Joseph sint benedicti in æternum.
℣. Deus in adjutorium, etc. *ut supra.*
℟. Domine ad adjuvandum...
Gloria Patri, etc.

HYMNUS

DUODENNEM Jesulum
Dolens perdidisti,

Et cum mœsta Conjuge
Mœstus quæsivisti;
In templo post triduum
Illum reperisti :
O quam magnis gaudiis
Plenus tunc fuisti.

ANTIPH. Salve Patriarcharum, etc.
℣. Ora pro nobis...
OREMUS. Sanctissimæ Genitricis...

AD COMPLETORIUM

Jesus, Maria, Joseph sint benedicti in æternum.
℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. Deus in adjutorium, etc. *ut supra*.
℟. Domine ad adjuvandum...
Gloria Patri, etc.

HYMNUS

O TE felicissimum,
Quem in agonia
Præsens consolatus est
Jesus et Maria,

Dum efflares animam,
Et directa via
Tenderes ad Abraham,
Functus vita pia.

ANTIPH. Salve Patriarcharum, etc.

℣. Ora pro nobis...

OREMUS. Sanctissimæ Genitricis...

COMMENDATIO

SANCTE Joseph, optime
Pater et patrone,
Dictas preces suscipe
Cum devotione;
Et ab omni protege
Nos tentatione;
Adsis nobis maxime
Mortis in agone.
Amen.

ORATIO

SANCTISSIMÆ Genitricis tuæ sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis...

TE, JOSEPH

TE, Joseph, celebrent agmina Cœlitum,
Te cuncti resonent Christiadum chori,
Qui, clarus meritis, junctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.

Tu natum Dñum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas,
Amissum Solymis quæris, et invenis,
Miscens gaudia fletibus.

Post mortem reliquos mors pia conse-
[crat,
Palmamque emeritos gloria suscipit :
Tu vivens, Superis par, frueris Deo,
Mira sorte beatior.

Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere :
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum.
Amen.

AVE, PER SUAVISSIMUM

Ave, per suavissimum Cor Jesu, Beate Joseph, sponse Dei Genitricis et Virginis, dilectissime Domini nostri Jesu Christi pater nutritie, Patriarcharum felix clausula, in humilitate profundissime, in fide et spe certissime, in amore ardentissime, in boni operatione strenuissime, pro omnium salute sollicitissime, in contemplatione altissime, in virginitate purissime, in omnium virtutum perfectione Dei Genitrici sponsæ tuæ similis.

Eia, ora pro me meisque omnibus, et specialiter pro novitiis in ordine nostro suscipiendis, multiplicandis, debite instruendis, fovendis et perficiendis, ut populus Deo serviens in diebus nostris, et merito augeatur et numero. Insuper et te, quem piissimum familiæ religiosæ omnes patronum proclamant, te, inquam, deprecamur, quem cum Jesu simul et Maria parentem suum et institutorem, (uti ipse nonnullis e fratribus nostris novitiis revelare dignatus es), minima

hæc Societas Jesu agnoscit ac reveretur. O Pater optime, hosce filios tuos ante conspectum tuum genibus provolutos benignissimo intuitu refove, et, supplicum precibus exoratus, ex immensæ caritatis tuæ thesauris sumptus nobis necessarios suppeditare velis.

VIRGINUM CUSTOS

VIRGINUM custos et Pater, Sancte Joseph, cujus fideli custodiæ, ipsa innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit; te, per hoc utrumque carissimum pignus, Jesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia præservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore, Jesu et Mariæ semper facias castissime famulari. Amen.

Indulg. 100 *dier. semel in die.* (*Pius IX, 4 febr.* 1877).

ORATIO SS. D. N. LEONIS XIII
AD S. JOSEPH

Ad te, beate Joseph, in tribulatione nostra confugimus, atque, implorato Sponsæ tuæ sanctissimæ auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quæsumus, quæ te cum immaculata Virgine Dei Genitrice conjunxit, caritatem, perque paternum, quo Puerum Jesum amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad hæreditatem, quam Jesus Christus acquisivit sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

Tuere, o Custos providentissime divinæ Familiæ, Jesu Christi sobolem electam ; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem ; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e cælo adesto ; et sicut olim Puerum Jesum e summo eripuisti vitæ discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab

omni adversitate defende : nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in cœlis beatitudinem assequi possimus. Amen.

Indulg. 300 *dier. semel in die.* (21 *Sept.* 1889).

CONSECRATIO AD S. JOSEPH

Sancte Joseph, Domini mei Jesu Pater nutritie ac B. Mariæ Virginis sponse, ego, N.., te in singularem patronum ac rectorem eligo, et quoniam constituit te Deus præpositum sanctæ Familiæ suæ oro te atque obtestor, ut in vocatione mea mihi adsis benignus, et intercessione tua faveas. Doce me, quæso, Mariam venerari ut advocatam, amare ut matrem; te duce, juxta Societatis constitutiones in via virtutis ac pietatis ambulem, et ita merear patrocinio tuo verus Mariæ filius, Jesu socius fidelis perpetuo vivere et mori. Amen.

MEMENTO NOSTRI

MEMENTO nostri, beate Joseph, et tuæ orationis suffragio, apud tuum putativum Filium intercede, sed et beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen. (*S. Bernardini Senensis*).

Indulg. 100 *dier. semel in die.* (*Leo XIII,* 14 *dec.* 1889).

CONSECRATIO SOC. JESU UNIVERSÆ

BEATISSIME Patriarcha Joseph, quem hodie christiani populi omnes Deprecatorem suum invocant, Patronum optimum proclamant : ad Te supplices accedimus et nos, ad Te confugimus omnes Societatis Jesu filii, ut uno animo unoque ore nostram in Te singularem venerationem ac devotionem testemur; utque Societas nostra universa, quæ Sacratissimis Jesu et Mariæ Cordibus sese jam

dudum devovit, pari etiam pietatis sensu Tibi devotam se profiteatur.

Te igitur, Beatissime Joseph, hoc ipso Patrocinii tui festo die, coram Rege ac Duce nostro Jesu et Beata Virgine Maria Sponsa tua ac Matre nostra, nos omnes quotquot per orbem sumus Societatis Jesu sodales, maxima qua possumus fiducia, peculiarem totius Societatis et cujusque Nostrum Patronum solemni ritu adoptamus ac prædicamus, Tibi nos omnes penitus devovemus, Tibi nostra omnia perpetuo dicata ac consecrata volumus.

Tu vero Benignissime Joseph, e regio gloriae tuae solio propitios oculos tuos et paternum cor tuum ad nos converte, preces nostras audi, votis annue, et Societatem nostram in firmissima fide et clientela tua constitue. Esto jam nunc Dominus et Princeps Societatis nostræ, quæ re ac nomine Christi Jesu familia et possessio est. Tu eam ut tuam posside, ut tuam guberna, promove et custodi, quemadmodum Sanctissimam Familiam tuam custodisti.

Tu carissimos Juvenes nostros, qui in spem Societatis et numero et sanctitate crescant, vehementer excita, ut Christum Jesum intime cognoscant, unice diligant, enixe imitentur. Tu Operariis, Magistris atque Scriptoribus nostris eam doctrinae et virtutis copiam impetra, qua Deiparae Virgini Sponsæ tuæ quam plurimos comparent filios Christo Jesu simillimos. Tu dilectos Fratres nostros Coadjutores tua pietate, humilitate et caritate informa, ut domestico Societatis famulatui eam impendant operam, quam tu curandæ Sacræ Familiæ tuæ impendisti. Tuo exemplo ac præsidio Superiores nostri cum Christo Domino conjuncti vivant, subditos suos sicut filios ament, mansuete regant, benigne tractent, eosque perfectionis Societati nostræ propriæ ac majoris Dei gloriæ studio inflamment.

Te demum, vir juste et fidelis Joseph, qui Jesum Puerum ex Herodis manibus eripuisti, impense rogamus, ut Societatem nostram a te protectam nulla

unquam inimica vis, nullæque insidiæ labefactare valeant; neque Nostrorum quemquam a summo Regis Ducisque nostri Jesu amore avertere unquam possint. Tu nos omnes serva et tuere in vita, Tu bonus ades et solare in morte, ut inter suavissimos Jesu et Mariæ tuosque amplexus animam reddamus, tuoque tandem et Jesu et Mariæ aspectu jucundissimo sempiternum perfruamur. Amen.

ORATIO AD S. JOSEPH
CATHOLICÆ ECCLESIÆ PATRONUM

DEUS, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dignatus es : præsta quæsumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis : Qui vivis...

XII. — AD OMNES SANCTOS

LITANIÆ

AD USUM PATRUM SOCIETATIS JESU

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, mis. nobis.
Spiritus Sancte Deus, mis. nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, mis. nobis.

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,

ora pro nobis.

Mater admirabilis,
Mater boni Consilii,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua Cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,

ora pro nobis.

Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi Rosarii,
Regina Pacis,
Regina Societatis Jesu,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,

ora pro nobis.

Omnes S^ti Angeli et Archangeli, orate.
Omnes S^ti beat. spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes S^ti Patriarchæ et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.

Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Mathæe,
Sancte Simon,
Sancte Taddæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
ora pro nobis.

Omnes S^ti Apostoli et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Andrea.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Sancti Joae, Joannes, et Socii
Sancti Paule, Joannes et Jacobe, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.

Sancte Sylvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae, Sancte Roberte,
Sancte Petre
Omnes S^ti Pontifices et Confess., orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Sancte Pater Ignati,
Sancte Francisce,
Sancte Francisce,
Sancte Joannes Francisce,
Sancte Francisce,
Sancte Petre,
Sancte Aloysi,
Sancte Joannes,
Sancte Stanislae,
Sancte Alphonse,
Omnes S^ti Sacerdotes et Levitæ, orate.

ora pro nobis.

ora pro nobis.

Omnes S^ti Monachi et Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia, } ora pro nobis.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate.
Omnes S^ti et S^tæ Dei, intercedite pro nob.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A flagello terræmotus,
A peste, fame et bello,
A morte perpetua,
Per mysterium S^tæ Incarnationis tuæ,
Per adventum tuum, } libera nos, Domine.

Per nativitatem tuam,
Per baptismum et S^tum^ jejunium tuum.
Per crucem et Passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti,
In die judicii,
libera nos, Dñe.

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut Domnum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,
Ut regibus, et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris,
te rogamus, audi nos.

Ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiæ revocare, et infideles universos ad Evangelii lumen

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie, eleison.
Christe, eleison.

Kyrie, eleison. Pater noster... (*secreto*).

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

—

PSALMUS LXIX

DEUS, in adjutorium meum intende : * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi : euge, euge.

Exultent et lætentur in te omnes, qui quærunt te,* et dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum : * Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu : * Domine ne moreris.

Gloria Patri, et Filio,* et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper,* et in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N...

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen tuum, vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Dñe, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

DEUS, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram : ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis : ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende : ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia

placaris : preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuæ iracundiæ quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam, in viam salutis æternæ: ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum, Domine : ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris, simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis : te supplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum...

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℣. Amen.

AVE, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo.
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

SUB tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix : nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

DEFENDE, quæsumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.

Deus, qui glorificantes te glorificas, et in Sanctorum tuorum honoribus honoraris, concede propitius, ut qui beatorum Ignatii, Patris nostri, et Francisci, gloriosa merita colimus, eorum pia patrocinia sentiamus. - Deus qui nobis in Corde Filii

~~Concede, quæsumus, omnipotens De-~~ tui, nostris vulnerato peccatis, mi-

us: ut qui in sanctissmo dilecti Filii tui Corde gloriantes, præcipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur, etfructu. Per eumdem Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

ORATIONES VARIÆ

PRO INFIRMO

OMNIPOTENS sempiterne Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro famulo tuo infirmo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium; ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PRO MORTI PROXIMO

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui humano generi et salutis remedia et vitæ æternæ munera contulisti: respice propitius famulum tuum infirmitate corporis laborantem, et animam refove quam creasti; ut in hora exitus illius, absque pec-

cati macula, tibi Creatori suo, per manus sanctorum Angelorum, repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

PRO NUPER DEFUNCTO

INCLINA, Domine, aurem ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur : ut animam famuli tui N.., quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

XIII. — AD B. P. IGNATIUM

ORATIO

DEUS, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti : concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

TE EGO

Te ego, Pater animæ meæ, summeque mihi venerande, positis humi genibus, tanquam si præsentem intuerer, suppliciter oro, ne Deum pro me obsecrare desistas, ut sanctissimæ voluntatis suæ mihi det et plane agnoscendæ et omnino exequendæ facultatem. Amen. (*S. Fr. Xaver.*)

O BEATE PATER

O Beate Pater noster Ignati, qui post Christum primus ac præcipuus fundator esse meruisti minimæ Societatis Jesu, humiliter te precamur, ut tua, omniumque filiorum tuorum, qui una tecum jam præsenti Domini nostri aspectu fruuntur, intercessione, nobis miseris licet et indignis peccatoribus, attamen, sic quoque filiis tuis impetres a Domino gratiam qua omnibus diebus vitæ nostræ ambulemus digne vocatione nostra, in fide vera, spe firma, caritate ardenti, humilitate profunda, patientia perfecta, obedientia prompta, castitate pura et altissima spiri-

tus paupertate, ut, ita in nobis et per nos plane impleatur divina ejus voluntas in vita et in morte, in tribulationibus et consolationibus, in labore et quiete, secundum beneplacitum divinæ ejus Majestatis. Amen.

XIV.—AD S. FRANC. XAVERIUM

ORATIO

Deus, qui Indiarum gentes beati Francisci prædicatione et miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti : concede propitius : ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

INVOCATIO S. FRANC. XAVERII (*)

Domine Jesu Christe, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera quæ tibi in cruce nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

* Scribit R.P.Carrafa in *fasciculo myrrhæ* lib. I. S.Fr.Xaverium identidem orasse hanc collectam.

NOVENDIALES PRECES A GRATIA

IN HONOREM S. FRANC. XAVERII

A 4. DIE AD 12. DIEM MARTII AUT ETIAM QUOVIS ANNI TEMPORE FACIENDÆ.

Origo. Ipse sanctus Franciscus Xaverius traditur pii hujus exercitii institutor fuisse, quum P. Mastrilli, ex læthali vulnere jam moriturum, mirabiliter sanitati restituit. (Neapoli, 1634). Tunc enim ei significavit Sanctus sibi gratissimam fore hujusmodi praxim, fidelibusque utilissimam, promittens singularia beneficia se esse largiturum iis qui eum orassent a die 4 martii ad diem 12, (qua die inter sanctos a S. Pontifice relatus est). Promissi veritatem haud pauca miracula comprobarunt, e quibus illud præ ceteris innotuit quo F. Alex. Philippucci (Maceratæ 1658), post diuturnum morbum morti proximus, devote peractis his novendialibus, repente sanus factus est. Cujus rei quum fama percrebuisset, apud innumeros fideles, in tota Europa, mos inductus est ut, redeunte martio, Xaverii opem implorarent; adeoque erga clientes suos ille fuit munificus, ut vulgo dictitaretur infallibiliter impetrari quidquid a Sancto tunc petitum fuisset.

Praxis. Nullibi orationes certæ præscribebantur tanquam his novendialibus propriæ. Licebat igitur unicuique his precibus uti quæ illi magis arridebant.

Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, quo Novendiales

preces, quas appellant, ubivis agantur sive publice sive privatim, et quovis anni tempore, bis in anno sacris indulgentiis ditantur:

Abhinc tribus fere sæculis Christifideles ad S. Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum prædicatione et miraculis insignem confidenter confugere consueverunt devoto præsertim exercitio, quod propter magnam in præsentibus vitæ necessitatibus compertam efficaciam *Novendiales a gratia* appellare non dubitarunt. Ad quod pium exercitium magis fovendum Summi Pontifices indulgentias sive partiales sive plenarias jam pridem elargiti sunt, quæ tamen ad quasdam regiones et præcipue ad ecclesias Societatis Jesu coarctabantur. Nunc vero, quo uberiores ex his novendialibus precibus pietatis fructus colligantur, SSmo. Dno. Nro. Pio PP. X. preces sunt exhibitæ, ut easdem, ubivis peractas, sacris indulgentiis ditare dignaretur. Has vero preces idem SSmus., in Audientia habita die 23 Martii 1904 ab infrascripto Cardinali Præfecto Sacræ Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, peramanter excipiens, universis Christifidelibus memoratum exercitium quovis anni tempore sive publice sive privatim peragentibus, sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles, bis tantum in anno acquirendas, concedere dignatus est; nempe : 1°. tercentum dierum quovis earumdem novendialium die lucrandam ab iis, qui vel subsequentem orationem vel, si illam ad manum non habeant, quinquies *Pater,*

Ave et Gloria Patri etc., corde saltem contrito ac devote recitaverint; 2°. plenariam autem iis, qui post hujusmodi pium expletum exercitium infra octo dies confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Sanctitatis Suæ pie oraverint :

Oratio

quolibet novendialium die recitanda:

O valde amabilis et caritate plenus, Sancte Francisce Xaveri, tecum Majestatem Divinam reverenter adoro; et quoniam summopere gaudeo de singularibus gratiæ donis, quæ Ipsa tibi contulit in hac vita, et gloriæ post mortem, Ei maximas ago gratias, teque toto cordis affectu deprecor, ut efficaci tua intercessione præcipuam mihi gratiam velis obtinere sanctam vitam agendi sancteque moriendi. Insuper te rogo, ut mihi impetres... *(hic exprimatur gratia sive spiritualis sive temporalis imploranda)*. Si vero id, quod a te suppliciter peto, ad Dei gloriam et ad majus bonum animæ meæ minime confert, tu quæso, mihi impetres quod utrique est utilius. Amen. *Pater, Ave et Gloria etc.*

Datum Romæ, die 23 martii 1904.

Aloisius Card. Tripepi, *Præf.*

ORATIO S. FRANC. XAVERII
PRO CONVERSIONE INFIDELIUM

ÆTERNE rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quæso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur; sed precibus sanctorum virorum et Ecclesiæ, sanctissimæ Filii tui Sponsæ, placatus, recordare misericordiæ tuæ, et oblitus idolatriæ et infidelitatis eorum, effice ut ipsi quoque agnoscant aliquando, quem misisti Dominum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Indulg. 300 *dier. semel in die* (*Pius IX*, 24 *maii* 1847).

XV.—ORATIONES VARIÆ

AD S. FRANCISCUM BORGIAM

DOMINE Jesu Christe, veræ humilitatis et exemplar, et præmium : quæsumus; ut sicut beatum Franciscum in terreni honoris contemptu, imitatorem tui gloriosum effecisti; ita nos ejusdem imitationis et gloriæ tribuas esse consortes : Qui vivis...

AD S. FRANCISCUM REGIS

DEUS, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores, beatum Joannem Franciscum Confessorem tuum mirabili caritate, et invicta patientia decorasti : concede propitius; ut ejus exemplis instructi, et intercessionibus adjuti, æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dominum...

AD S. FRANCISCUM DE HIERONYMO

DEUS, qui beatum Franciscum ad animarum salutem eximium verbi tui

præconem effecisti : ejus nobis intercessione concede; ut legis tuæ mandata et jugiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exsequamur. Per Dominum...

AD S. PETRUM CLAVER

Deus, qui abreptos in servitutem Nigritas ad agnitionem tui nominis vocaturus, beatum Petrum mira in eis juvandis caritate et patientia roborasti : ejus nobis intercessione concede; ut quæ Jesu Christi sunt quærentes, proximos opere et veritate diligamus. Per eumdem Dominum...

AD S. ALOISIUM GONZAGAM

Cœlestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloisio miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentia sociasti : ejus meritis, et precibus concede; ut innocentem non secuti, pœnitentem imitemur. Per Dominum nostrum...

AD S. JOANNEM BERCHMANS

CONCEDE quæsumus famulis tuis, Domine Deus: ejus innocentiæ ac fidelitatis exempla in tuo servitio sectari; quibus angelicus juvenis Joannes ætatis suæ florem consecravit. Per Dñum nostrum...

AD S. STANISLAUM KOSTKAM

DEUS, qui inter cetera sapientiæ tuæ miracula, etiam in tenera ætate maturæ sanctitatis gratiam contulisti: da, quæsumus; ut beati Stanislai exemplo, tempus instanter operando redimentes, in æternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum nostrum...

AD S. ALPHONSUM RODRIGUEZ

DEUS, fortitudo fragilium, et humilium celsitudo, qui famulum tuum Alphonsum jugi mortificationis studio, et eximiæ humilitatis laude clarescere voluisti: da, ut ejus imitatione carne mortificati,

et in humili crucis Filii tui sequela fideliter perseverantes, gloriam consequamur æternam : Qui tecum vivit et regnat...

AD B. PETRUM FABRUM

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et qui in beato Petro Confessore tuo assiduum orationis studium, et indefessum animarum zelum sociare voluisti: ejus meritis et intercessione concede; ut tibi jugiter ex animo adhærentes, proximos nostros opere et veritate diligere et juvare valeamus. Per Dominum...

CONSECRATIO AD B. V. M. (*)

Sanctissima Virgo et Mater Dei Maria, ego N. N. licet qui tibi serviam indignissimus, motus tamen tua admirabili pietate et impulsus tibi serviendi deside-

(*) Hæc videtur esse nostra antiqua consecrationis formula, votorum nostrorum simplicium formulæ parum dissimilis et ex R. P. Beckx in congregationibus B. M V. adhibenda.

ric, eligo te hodie coram Angelo meo tutelari et curia cœlesti universa in dominam, advocatam et matrem ; firmiterque propono me tibi semper in posterum famulaturum et quantum in me erit, curaturum ut ab omnibus tibi fideliter serviatur. Te igitur piissima Mater, per Jesu Christi sanguinem pro me sparsum oro atque obsecro, ut me in clientum tuorum numerum atque in servum perpetuum recipere digneris. Adsis mihi in omnibus actionibus meis, gratiamque impetres, ut ita me verbo, opere et cogitatione geram, ut nunquam nec tuos, nec sanctissimi Filii tui oculos offendam. Recorderis mei, nec me deseras in hora mortis. Amen.

ANTE CONFESSIONES AUDIENDAS

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem Sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni cœlorum, ut nulli aperiam

cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit.

Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus.

Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem non despiciam, diviti ne aduler.

Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum.

Tribue, quæso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam, in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam.

Inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer.

Alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

Indulgentia 100 *dierum semel in die.* (*Pius IX*, 1854).

PRO VOCATIONE CONSERVANDA

SANCTA et individua Trinitas, mei creatrix et gubernatrix, per infinita merita vitæ, passionis et mortis Domini nostri Jesu Christi, per potentissimam intercessionem B. Mariæ semper Virginis, B. Joseph et B. Ignatii et omnium Sanctorum, triplicem hanc gratiam mihi fratribusque meis indesinenter concede : castitatem scilicet angelicam, perseverantiam in Societate Jesu usque ad mortem, atque ad ejus omnia munia et munera obeunda docilem aptitudinem. *(S. Joan. Berchmans)*

CONSECRATIO STUDIORUM
IN HONOREM B. M. V. IMMACULATÆ

SUB patrocinio tuo, Mater dilectissima, amantissima, et invocato Immaculatæ Conceptionis tuæ mysterio, Ego... studia mea laboresque litterarios (*aut* philosophïcos, theologicos, etc.) prosequi volo. Quibus me protestor maxime hunc ob finem incumbere, ut melius divino hono-

ri, tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, Sedes sapientiæ, ut sicut hactenus fecisti, ita et in posterum laboribus meis benigne faveas. Ego vero, quod justum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tibi totum relaturum. Amen.

INTER STUDENDUM

CREATOR ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ tres Angelorum hierarchias designasti, et eas super cœlum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime distribuisti, tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiæ diceris, ac supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet, et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infunde. Da mihi intelligendi

acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam. Ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas : tu, qui es verus Deus et homo,qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.*(S. Th. Aquin.)*.

Indulg. 200 *dier. semel tantum in die.* (*Leo XIII,* 21 *febr.* 1880).

ALTERA ORATIO

CONCEDE mihi, quæso, misericors Deus, quæ tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte implere, ad laudem et gloriam nominis tui. Amen.*(S. Th. Aq.)*

Indulg. 300 *dier. pie recit. ante stud. vel scholam.* (*Leo XIII.* 21 *jun.* 1879).

ALTERA ORATIO

O Maria, mater pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis et sanctæ spei,cujus pia intercessione plurimi, quantumvis alioquin ingenio rudes, mirabiles in

scientia et pietate fecere progressus : te, studiorum meorum præsidem et patronam eligo, et per maternæ pietatis tuæ viscera, et maxime per æternam illam Sapientiam, (quæ ex te carnem nostram assumere, teque supra omnes Sanctos cœlesti lumine illustrare dignata est), humiliter exoro ut mihi Sancti Spiritus gratiam tua intercessione obtineas, ita ut omnia ingenio assequi, memoria retinere, vita et eloquio exprimere, aliosque docere possim, quæ tibi et Filio tuo honorifica, mihique et aliis ad æternam felicitatem sunt salutaria. Amen. *(S. Thom. Aquin.)*.

PRO DISCIPULIS

DOMINE Jesu, qui pro his pueris mortem acerbissimam obire non dubitasti, qui eos impense caros habes, qui adduci ad te pueros jussisti, qui tibi fers expensum ipsi, quod uni ex minimis fiat, oro te atque obtestor, serva eos in nomine tuo; tui sunt, eos dedisti mihi. Pone verba

tua in ore meo: aperi cor eorum, ut amare te ac timere discant. Averte faciem tuam a peccatis meis, ne qua tuæ benignitati per me afferatur mora: concede, ut quam imponis mihi juventutis hujus erudiendæ provinciam, exequar prudenter, sancte, fortiter, ad gloriam tuam, quam unam in eo mihi munere præstituo. *(B. P. Canisii).*

PRO AGONIZANTIBUS

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam Cordis tui Sanctissimi et per dolores Matris tuæ immaculatæ, lava in sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium.

Indulg. 100 *dier. toties quoties; plenaria semel in mense recitanti ter sing. diebus.* (2 *apr.* 1850).

PRO IMPETRANDA GRATIA BENE MORIENDI

BEATI mortui qui in Domino moriuntur. O mi Deus, moriendum mihi est certo, sed nescio quando, quomodo, ubi moriar; hoc unum scio, me in æternum periturum, si in peccato lethali expirem.

Beatissima Virgo Maria, Mater Dei Sancta, ora pro me peccatore, nunc et in hora mortis meæ. Amen. — *Indulg.* 300 *dier. toties quoties.* (24 *decembr.* 1905).

Sanctitas Sua benigne concessit, ut omnes Christifideles qui, die ab eisdem eligendo, Sacramentali confessione rite expiati sacraque Synaxi refecti, cum vero caritatis in Deum affectu, sequentem actum

« Domine Deus meus, jam nunc quodcumque mortis genus prout Tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, pœnis ac doloribus de manu Tua æquo ac libenti animo suscipio »

ediderint, plenariam Indulgentiam in ipso mortis articulo lucrari valeant. (9 *Martii* 1904).

AD MARIAM

SACRATISSIMA Virgo Maria, in illo amore et fidelitate qua Filius tuus in cruce pendens te Joanni commendavit, commendo tibi animam et corpus meum, cogitationes, verba et opera mea, vitam et mortem meam, maxime autem extremum illud vitæ meæ momentum a quo pendet æternitas. Et sicut tu ad beatum tuum transitum Filium tuum invitasti, ita et ego ad transitum meum te invito, rogans per amorem illum quo Filio tuo morienti astitisti, perque amaras lacrymas quas fudisti, quando eum inclinato capite amarissime expirantem vidisti, ut et mihi materna benignitate tua assistere et nequaquam emanere velis, quia sine te nequaquam pie mori me posse confido. Ne deneges mihi, o Mater benignissima, petitionem hanc meam quam a te devotissimo corde deposco; quia, si sine te moriar, non immerito vereor ne æternaliter peream. Quomodo enim ego pauperculus et fragilis nimis in tam multiplicibus gravis-

simisque hostium insultibus subsistam, nisi mihi adfueris? Quomodo in districtissimo illo judicio divino comparebo, nisi te mihi comitem et advocatam exhibueris? Quomodo de peccatis meis innumeris et omnem enormitatem superantibus rationem reddam, nisi tu illa apud Filium tuum excuses eorumque mihi veniam impetres. Inclina igitur aurem tuam precibus meis, o beatissima, et ob amorem dilecti Filii in extremis mihi assiste, ut sub tua protectione gravissimis illis periculis erutus, ad cœlestia gaudia tecum pervenire valeam. Amen.

AD SANCTUM MICHAELEM

PRINCEPS gloriosissime sancte Michael archangele, ego humilis cliens tuus saluto te per dulcissimum cor Jesu Christi, quod tibi in augmentum gaudii et gloriæ tuæ peramanter offero, gratias agens Deo pro beatitudine quam tibi contulit, et quod te super omnes alios angelos honorare et exaltare voluit. Tibi vitæ et mortis

meæ curam specialiter commendo; adsis mihi nunc, et semper, et maxime in fine vitæ meæ; benigne me tunc consolare, conforta et protege; impetra mihi augmentum fidei, spei et caritatis, nec permitte me a sancta fide deviare, nec in foveam desperationis deduci, neque de operibus bonis, si quæ per gratiam Dei operatus sum, præsumere; impetra peccatorum meorum veniam, spiritum bonum, humilitatem et alias virtutes, maxime vero gratiam finalem, ut tecum Deum meum glorificem in sæcula. Amen.

AD S. JOSEPH, BONÆ MORTIS PATRONUM

O sancte Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui, et dulcissimæ sponsæ tuæ Mariæ complexu ex hac vita emigrasti: succurre mihi, o sancte Pater, cum Jesu et Maria, tunc potissimum, quando mors vitæ meæ finem imponet, illudque (quod unice peto) solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Jesu et Mariæ bra-

chiis exspirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Jesu, Maria, Joseph. Amen.

PRO VOTORUM ADIMPLETIONE

DEUS, qui nos a sæculi vanitate conversos, ad bravium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere et gratiam nobis, qua in te perseveremus infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante promisimus impleamus et nostræ professionis executores effecti, ad ea quæ perseverantibus in te promittere dignatus es pertingamus.

Deus, qui renuntiantibus sæculo mansiones paras in cœlo, dilata fratrum nostrorum corda cœlestibus donis, ut fraternæ teneantur compagine caritatis unanimes, præcepta custodiant, sobrii, simplices et quieti, gratis sibi datam suæ professionis gratiam fuisse cognoscant, concordet illorum vita cum nomine, professio sentiatur in opere.

ITINERARIUM CLERICORUM

Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari, si cum sociis in plurali.

ANTIPHONA. In viam pacis.

CANTICUM ZACHARIÆ
LUCÆ I

BENEDICTUS Dominus Deus Israel,* quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ :

Et erexit cornu salutis nobis : * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a sæculo sunt, prophetarum ejus :

Salutem ex inimicis nostris : * et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : * et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum,* daturum se nobis:

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati,* serviamus illi :

In sanctitate, et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus : * in remissionem peccatorum eorum :

Per viscera misericordiæ Dei nostri :* in quibus visitavit nos oriens ex alto :

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, etc.

ANTIPHONA. In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus, et Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute et gaudio revertamur ad propria.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster... *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte nobis, Dñe, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Esto nobis, Dñe, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie.
℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.
℣. Vias tuas, Domine, demonstra nobis.
℟. Et semitas tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viæ nostræ.
℟. Ad custodiendas justificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

DEUS qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus

Magis iter ad te stella duce pandisti : tribue nobis, quæsumus, iter prosperum tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuum, de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti, quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris : esto nobis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus : ut, te duce, quo tendimus prospere perveniamus, et demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitatis dispone, ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, tuo semper protegamur auxilio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat,

et beati Joannis Præcursoris tui hortamenta sectando, ad eum quem prædixit secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Procedamus in pace.

℟. In nomine Domini. Amen.

PROFESSIO ORTHODOXÆ FIDEI

JUXTA FORMAM A SS. PONTIFICIBUS PIO IV ET PIO IX PRÆSCRIPTAM

Ego N., firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.

Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstan-

tialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem : qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit

et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Dño nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium et propitiatorium Sa-

crificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christia-

no populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam et apostolicam, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia a sacris Canonibus et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere

et confiteri, atque a meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N.., spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

THESAURUS INDULGENTIARUM

ÆTERNE Pater, offerimus tibi sanguinem, passionem et mortem Jesu Christi, dolorem sanctissimæ Virginis et sancti Joseph in remissionem nostrorum peccatorum, liberationem animarum quæ sunt in purgatorio, propter Ecclesiæ necessitates et peccatorum conversionem.

Indulg. 100 *dier. semel in die. (Pius IX,* 1860).

FIAT, laudetur, atque in æternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus.

Indulg. 100 *dier. semel in die; plenaria semel in anno et in articulo mortis. (Pius VII,* 1818).

LAUDETUR Jesus Christus. ℟. In sæcula sæculorum. Amen.

Indulg. 50 *dier. toties quoties; plen, in morte. (Clem. XIII,* 1759).

LAUDETUR Jesus et Maria. ℟. Nunc et semper. *Indulg.* 50 *dier.* (*Pius IX*, 1864).

O mi Jesu, miserere mei!
Indulg. 100 *dier. toties quoties.* (*Pius IX*, 1846).

DULCISSIME Jesu, non sis mihi judex, sed salvator.

Indulg. 50 *dier. toties quoties; plenaria semel in festo S. Hieron. Æmiliani* (20 *jul.*) *vel in una dier. infra oct. ejusd.* (*Pius IX*, 29 *nov.* 1853).

LAUDETUR sanctissimum et divinissimum Sacramentum, eique gratiæ singulis momentis agantur.

Indulg. 100 *dier. semel in die; plenaria semel in mense.* (*Pius VI*, 1776).

JESU mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum.

Indulg. 300 *dier. toties quoties.* (*Pius X*, 1906).

DULCE Cor Jesu, fac ut te magis ac magis in dies diligam.

Indulg. 300 *dier. toties quoties; plenaria singulis mensibus.* (*Pius IX*, 1876).

DULCE Cor Jesu, esto meus amor.
Indulg. 300 *dier. toties quoties; plenaria singulis mensibus.* (*Pius IX*, 1875).

APPENDIX

METHODUS EXAMINIS QUOTIDIANI

PUNCTUM I. Gratias ago tibi, Dñe, pro beneficiis generalibus creationis, redemptionis, vocationis, perseverantiæ;

Pro beneficiis particularibus, præsertim hujus diei;

Pro tali statu animæ meæ; vel consolationis, cujus auctor fuisti; vel desolationis, quam permisisti ad bonum meum;

Pro tali statu hodierno corporis, sanitatis vel ægritudinis:

Pro hoc vel illo bono aut malo successu in negotiis meis;

Pro honore vel contemptu ab hominibus accepto;

Pro aliis omnibus beneficiis a bonitate tua mihi non cogitanti aut etiam renitenti tam liberaliter concessis. *Magnificat recitari potest).*

PUNCTUM II. Da, Pater luminum, gra-

tiam intellectui meo, ut videam te, cognoscam peccatorum, offensionum defectuumque meorum omnium numerum et turpitudinem.

Da voluntati quoque, Deus omnipotens, gratiam tuam, ut istorum meorum operum deordinatione detecta et detestata, meos omnes actus, tam internos quam externos, secundum tuam sanctam voluntatem velim ordinare et vere ordinem. *(Veni, Sancte Spiritus).*

PUNCTUM III. Ab ultimo examine, singulas diei horas percurrens, videam in quibus et quoties deliquerim cogitatione, verbo et opere.

1. Circa materiam examinis particularis. *(Quæ delicta in codice sunt notanda).*

2. *Erga Deum:* exercitia spiritualia?... intentio in agendo?... fidelitas gratiæ inspirationibus?... orationes jaculatoriæ, pro necessitate?..., etc.

3. *Erga proximum.* — *Superiores :* obsequium?... obedientia?... amor simplicitatis?... — *Æquales :* caritas?... caritatisque

officia?... ædificatio verborum?... — *Inferiores* : caritas?... oratio pro eis ad Deum?... brevitas in præcipiendo?... firma voluntas in exigendo?... in utroque benignitas?...

4 *Erga meipsum* : humilitas?... mortificatio præsertim interior?... sensuum tam internorum quam externorum custodia?... regularum observatio, et in particulari, modestiæ, silentii?..., etc.

PUNCTUM IV. Istorum omnium, Domine, me valde pœnitet. Quam miser, quam detestandus ego, qui tibi gratiarum largitori talia reddidi!

Culpa rubet vultus meus;
Supplicanti parce, Deus.

Imo, fac bonitate tua, Domine, ut servo tuo indigno etiam ista omnia peccata, offensiones et defectus convertantur in bonum. Da igitur humilitatem, da veram cordis contritionem, da efficax emendationis desiderium, da ipsam emendationem. (*Miserere*).

PUNCTUM V. *(In quo insistendum est).* *Quid* agam, vespere?... cras?... cogitatione, verbo et opere?... circa examen particulare?... erga proximum?... erga me?...

Hæc per meipsum, Dñe, servare non potero. Fac igitur gratia tua, Pater omnipotens, qui *adjutor et susceptor meus es,* ut ego, servus tuus indignus sed contritus, non semper in easdem recidam culpas. *(Pater noster).*

EXAM. PARTIC. MATERIA TEMPORE EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

1. An adversus tentationem aut desolationem incidentem pugnavi, id est, an tædium aut torporem, si occurrit, strenue excussi? (annot. 13).

2. An omnem dissipationem sedulo fugi? (annot. 20).

3. An silentium servavi?

4. An a risu abstinui? (addit. 8).

5. An modestiam, oculorum præsertim, servavi, præcipue dum in publicum procedendum fuit? (addit. 3).

6. An puncta meditationis audivi attente?

7. An vespere, post cubitum, ante somnum, modico temporis spatio, cogitavi de hora qua surgendum mihi erat et de exercitio faciendo? (addit. 8).

8. An expergefactus, statim exclusis omnibus aliis cogitationibus, mihi posuerim ob oculos statutam contemplationem, et ea mihi proposui quæ in præludiis proposita sunt? (addit. 2).

9. An e loco futuræ meditationis uno vel gemino passu distans, per tantillum tempus quo Oratio Dominica percurri possit, consideravi Dominum meum Jesum ut præsentem et spectantem quidnam acturus essem, et an ei reverentiam cum humili gestu exhibui? (addit. 3).

10. An in meditatione eo me composui modo, quo speravi me facilius id assecuturum esse quod optabam? (addit. 4).

11. An in puncto in quo assecutus fui quæsitam devotionem conquievi, sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfecissem? (addit. 4).

12. An totum tempus in meditatione complevi? (annot. 12).

13. An in colloquiis præsertim reverentiam et fervorem adhibui? (annot. 3).

14. An completo exercitio, dispexi quonam modo mihi successisset; et siquidem male, inquisivi causas cum pœnitudine et emendationis proposito; sin vero bene, gratias Deo egi? (addit. 5).

15. An puncta, quæ Dominus communicavit in meditatione vel etiam extra meditationem, notavi non diffuse per modum sermonis, sed brevissime? (Direct. c. 3, n. 5).

16. An meditationi cogitationes conformes fovi, et alias, licet pias, exclusi? (addit. 6).

17. An non legi res non pertinentes, (Direct. c. 2, n. 2. Annot. 1ª 2æ Hebd.), aut de futura meditatione curiose investigavi?

18. An difficultates occurrentes aperui? (annot. 17).

RECOLLECTIO MENSTRUA

1. *Meditari*, mane, de fine hominis, vel de regno Domini nostri Jesu Christi vel de alia re simili; vespere, de morte et de præparatione ad mortem.

2. *Legere*, diarium quod quisque sibi statuit, resolutiones suas variasque devotionis industrias, instructionem ad reddendam conscientiæ rationem, R. P. Provincialis et P. Spiritualis monita, regulas sui officii.

3. *Perpendere*, modum quo spiritualia fiunt exercitia, et fructus qui ex eis colliguntur, præsertim ex meditatione matutina, ex confessione, ex Missæ sacrificio, ex Breviarii lectione; officia sibi commissa, an fiant intentione pura, integre; examen particulare; tria vota; usum temporis, an servetur præscriptus ordo, an necessaria quibuslibet aliis anteponantur; tentationes variasque animi turbationes.

4. *Colloqui* cum P. Spirituali de uno ex his punctis.

INDEX

RITUS

MISSA Pag.

Quam dilecta (*Ps.* 83) 5
Benedixisti (*Ps.* 84) 7
Inclina, Domine (*Ps.* 85) 8
Credidi, propter quod (*Ps.* 115) 10
De profundis (*Ps.* 129) 11
Summe Sacerdos (*S. Ambrosii*) 14
Ad mensam dulcissimi (*S. Ambrosii*) 23
Omnipotens sempiterne (*S. Th. Aq.*) 25
Ego volo celebrare 26
Orationes dum vestes induuntur . . . 27
Ordo Missæ 29
Preces Leonis XIII post Missam . . . 61
Benedicite, omnia opera (*Daniel* 3). 63
Laudate Dominum (*Ps.* 150) 65
Gratias tibi ago (*S. Thom. Aquin.*) . . 67
Transfige, dulcissime (*S. Bonav.*) . . 68

ALII RITUS

Absolutionis forma 70
Communio extra Missam 72

Ordo ministrandi Viaticum 75
Ordo ministrandi Extr. Unctionem. 80
Benedictio Apost. in articulo mortis. 87
Ordo commendationis animæ 90
Benedictio Papalis 108
Benedictio Tertiariorum 111

BENEDICTIONES VARIÆ

Novæ crucis. 114
Imaginis vel Numismatis 115
Rosariorum B. M. V. 116
Scapul. B.M.V. de Monte Carmelo. 118
Indulg. plen. pro confr. Carm. morib. 120
Scapularis cærulei B. M. V. Immac. 121
Scapularis rubri. 123
Quatuor scapularium 125
Pro re quacumque. 129
Puerorum 130
Infirmi. 132
Domus 134
Domus novæ. 135
Loci 136
Aquæ 136
Aquæ S. Ignatii 140
Mensæ 142

PRECES

I. ANTE MISSAM AUT S. COMMUNIONEM

Memoria memor ero 153
O Cor Jesu Sacratissimum 154
O Domine mi 155
O Mater pietatis 156
Castissima Virgo Maria 157
O felicem virum. 158
Angeli, Archangeli. 159
Sancte N... 159

II. POST MISSAM AUT S. COMMUNIONEM

Obsecro te 160
En ego, o bone. 161
Ego me sacratissimo 162
Nunc dimittis 163
Exue me *(B. Canisii)*. 167
O Maria, Virgo et Mater. 171
O Beata Mater *(P. Ramière)* 172
Commendo me tibi 173
Angeli sancti. 174

III. AD SS. TRINITATEM

Adoro te, sancta Trinitas *(B. Spinulæ)* 175
In te, Domine *(P. de la Colombière)*. 176

IV. AD JESUM

Adeste, fideles 179
Jesu, dulcis memoria 179
Litaniæ SS. Nominis Jesu 180
Domine Jesu *(S. Augustini)* 184
Anima Christi 185
Suscipe, Domine *(S. Ignatii)* 186
O æterne Domine *(S. Ignatii)* 187
Dignare, benignissime Jesu *(B. Spin.)* 187

V. AD SS. SACRAMENTUM

Oratio 188
Lauda, Sion 188
Adoro te 190
Pange, lingua 192
Sacris solemniis 193
Verbum supernum 194
Ave, verum 195
O sanctissime Jesu *(S. Thom. Aquin.)* 196
O Deus, ego amo Te 198

VI. AD SS. COR JESU

Officium 199
Litaniæ 215
Orationes 218

Orationes ex missa B. Marg. Mariæ. 219
Cor, arca legem. 220
Amantissime Jesu *(S. Mechtildis)*. . . 221
O Cor Jesu dulcissimum *(S. Mechtil.)* 221
Ego trado et dedico *(B. Marg. Mariæ)* 222
Consecratio Societatis Jesu 223
Dulcissime Jesu *(R. P. Roothaan)* . . . 225
En ante conspectum *(P. de Ponlevoy)*. 227
Decretum 46 Congreg. gener. 23. . . 229
Cor Domini nostri et Societas Jesu. 230
Promissa Cordis Jesu cultoribus. . . 232

VII. AD SPIRITUM SANCTUM

Veni, Creator 234
Veni, Sancte Spiritus 235

VIII. AD B. V. MARIAM

Officium Immaculatæ Conceptionis 237
Oratio. 247
Ave maris Stella 247
Stabat Mater 247
Memorare *(S. Bernardi)* 250
O Domina mea *(S. Aloys. Gonzagæ)*. 250
O Domina mea *(P. Zucchi)* 252
Sancta Maria, Mater *(Formul. Congr.)* 252
Cordi, quæsumus. 253

IX. AD PURISSIMUM COR MARIÆ

Consecratio Soc. Jesu (5 *dec.* 1884). 253

X. AD SANCTOS ANGELOS

Oratio. 255
Christe, Sanctorum 256
Angele Dei 257

XI. AD SANCTUM JOSEPH

Officium parvum 257
Oratio. 264
Te, Joseph. 265
Ave, per suavissimum Cor Jesu. . . . 266
Virginum custos 267
Ad te, beate Joseph (*Leonis XIII*) . . 268
Consecratio. 269
Memento nostri (*S. Bern. Senensis*) . 270
Consecratio Soc. Jesu (21 *apr.* 1907). 270
Deus, qui ineffabili providentia . . . 273

XII. AD OMNES SANCTOS

Litaniæ ad usum PP. Soc. Jesu 274
Pro infirmo. 289
Pro morti proximo 289
Pro nuper defuncto 290

XIII. AD B. P. IGNATIUM

Oratio. 290
Te ego 291
O Beate Pater 291

XIV. AD S. FRANC. XAVERIUM

Oratio. 292
Invocatio S. Franc. Xaverii 292
Preces novendiales 293
Pro conversione Infidelium 296

XV. ORATIONES VARIÆ

Ad S. Franc. Borgiam 297
Ad S. Franc. Regis. 297
Ad S. Franc. de Hieronymo. 297
Ad S. Petrum Claver 298
Ad S. Aloys. Gonzagam. 298
Ad S. Joann. Berchmans 299
Ad S. Stan. Kostkam 299
Ad S. Alph. Rodriguez. 299
Ad B. Petrum Fabrum 300
Consecratio ad B. V. M. 300
Ante confessiones audiendas 301
Pro vocatione conserv. *(S. J. Berchm.)* 303
Consecratio stud. in hon. B.M.V. Im. 303

Inter studendum (*S. Thom. Aquin.*) . 304
Pro discipulis (*B. Canisii*). 306
Pro agonizantibus 307
Pro impetranda bona morte. 308
Pro votorum adimpletione. 312
Itinerarium clericorum. 313
Professio orthodoxæ fidei 317
Thesaurus Indulgentiarum 322

APPENDIX

Methodus examinis quotidiani. . . . 324
Exam. partic. materia temp. Exercit. 327
Recollectio menstrua. 330

Kasteel, Gemert. Nord-Brabant. (Hollande).

ERRATA

Pag.	*Lin.*	ERRATA	CORRIGE
23	5	dulissimi	dulcissimi
76	13	Ajdutorium	Adjutorium
189	7	intitutis	institutis
198	17	igominiam	ignominiam
280	4	spulturam	sepulturam
»	6	Par	Per

15750